




MONOGRAPHIA
STAPHYLINORUM
SVECIÆ

A

GUSTAVO DE *PAYKULL.*





UPSALIÆ,

LITTERIS DIRECT. JOHANN. EDMAN, MDCCLXXXIX.

VIRO

ILLUSTRI AC CELEBERRIMO

DOMINO

JOHANNI CHRIST. FABRICIO,

PROF. KILONIENSI, PLUR. ACADEM. ET SOC. LITT. MEMBRO.

AMICO OPTIMO

SACRUM.

VIRO

ILLUSTRI AC CELEBERRIMO

DOMINO

JOHANNI CHRIST.

FABRICIO,

PROF. KILONIENSI, PLUR. ACADEM. ET SOC.

LITT. MEMBRO.

AMICO OPTIMO

SACRUM.

LECTORI.

Faunam Svecicam ab immortali noſtro LINNÆO editam, non exiguam, maxime quod ad inſecta & vermes, deſiderare emendationem, jam diu non immerito queſti ſunt rerum naturalium ſcrutatores. Ardentius hanc hiſtoriæ naturalis partem excolendi ſtudium, ab Illuſtri hoc Viro in primo quaſi diluculo accenſum, numerum ſpecierum in plerisque generibus fere duplicavit, unde characteres etiam antea determinati facti ſunt vacillantes. LINNÆUS laboribus obrutus deſcriptiones ſuas maxima, qua fieri potuit, brevitate adornavit. Paucula tunc verba ad ſpeciem aliquam determinandam forte ſufficiebant, quando plures, eidem admodum adfines, nondum erant cognitæ. His autem detectis, priores adeo inſufficientes ſunt deſcriptiones, ut conjectandum non raro, atque ab exterorum aucto-

rum ſynonymiis indagandum ſit, quam in primis ſpeciem Archiater illuſtris indicare voluerit.

De Geer, auctor eodem tempore florens, defectus Faunæ Sveciæ dudum cognovit. Nomina igitur Linnæana apud ipſum non raro deſiderantur, atque interdum ſpeciebus alienis ſunt addita. Abſit quam longisſime ut Reaumurii noſtri Svecani gloriam obſcurare vellem: indefesſam ejus inquirendi, & ſolidam dijudicandi facultatem, naturæ ubique, non vero ſoli nomenclaturæ intentam, ſemper laudabunt, ſemper admirabuntur, raro imitari poterunt eruditi. Attamen in obſervandis magis quam colligendis hiſce naturæ miraculis occupatus De Geer non admodum multas ſpecies Linnæo incognitas in operibus ſuis deſcripſit.

Plures recentioris ævi ſcriptores, novis Inſectorum Svecicorum deſcriptionibus, partim

tim in Actis Academiæ Scientiarum, partim in ſingularibus disſertationibus, defectum hunc ſupplere ſunt conati; neque negari poteſt quidquam hac diligentia esſe effectum, quamvis minus omnino, quam primo forte intuitu ſperari posſet. Difficultas erit enim non levis plura Academicorum trimeſtria, aut plures diverſi argumenti disſertationes evolvere, ut inſectum aliquod quæramus minus cognitum, antea ſæpe nomine magis exteris entomologis noto, vel ab ipſo interdum LINNÆO deſcriptum.

Edebat interea BONSDORFF Academiæ Aboënſis Profesſor, ſuas de Curculionibus Svecicis disſertationes, ſuoque exemplo genera Inſectorum difficiliora per monographias pertractare docuit. Deſcriptiones ejus cum Synonymis auctorum ab ipſo examinatis magnam habent laudem. Unum forte

vel alterum addi potuisſet: ſed Scientia tamen non ſine cauſſa continuationem hujus laboris, qui non ultra levisſimam diviſionem, ſeu Curculiones breviroſtres ſeſe extendit, intermisſam queritur.

Præter defectum hunc deſcriptionum entomologorum ſatis perſpicuum, aliam quoque deprehendimus difficultatem. Genera a LINNÆO recepta vacillant ſæpe, & naturæ interdum repugnant. Dermeſtes, Tenebrio, Attelabus, Cancer, cetera teſtimonio esſe poterunt, neque multos harum rerum peritos habebo contradicentes. Clasſes ipſæ apud LINNÆUM minus bene ſunt determinatæ. Cur enim e. gr. Aptera a reliquis ſeparantur, cum in omnibus clasſibus inſecta ſine alis inveniuntur? Exiguæ Syſtematis LINNÆANI emendationes, a recentioribus nonnullis factæ, vix commemorari debent, utpote infirmiores ædificii minus ſolide fundati reparationes.

FA-

Fabricius, Academiæ Kilonienſis Profeſſor, qui inter omnes maximum vidit ac deſcripſit inſectorum numerum, atque ideo defectus prioris ſyſtematis optime perſpexit, novum orbi erudito ſyſtema dedit, ſtructura inſtrumentorum cibariorum fundatum. Multa huic objici audivi: ſed cum mammalia & aves ex ſtructura dentium & roſtri diſtingvere non dubitaverint Hiſtorici Naturales, cur non eodem modo in diviſione inſectorum naturæ ſequi licebit veſtigia? Subtilitas partium magnam interdum, fateor, difficultatem creat: ſed hæc tamen neminem abſterrere debet, poſtquam Muller Zoologus Haffnienſis, ipſa animalcula microſcopica, quæ oculis nudis conſpici nequeunt, & inſtrumentis cibariis omnium inſectorum huc usque deſcriptorum infinite minora ſunt, in ſua genera, ſuasque ſpecies diſpeſcere potuit. Qui præterea ſyſtematis Fabriciani paulo adcuratiorem nactus eſt

cognitionem, habitum naturalem per omnia ſere ita obſervatum inveniet, ut hoc ipſo haud parum minuantur difficultates. Si autem numerus generum loco quodam præter necesſitatem contra habitum hunc naturalem auctus videretur, erratum hoc facile corrigere quisque poterit. Non igitur e. gr. veſtigiis memorati auctoris inſiſtens Staphylinos in tria genera diſtingvere auſus ſum.

Poſtquam per inſtituta longe lateque intra patriam, itinera & benignam aliorum entomologorum operam, inſectorum plerorumque in Svecia inventorum ipſe factus ſum posſesſor, genera, quæ plurimas præbere videbantur difficultates, & maximam novarum ſpecierum copiam oſtendebant, pasſim deſcribere decrevi.

A Staphylinis initium facio. Curculiones, Carabos, Phryganeas, Ichneumones,

Ten-

Tenthredines, Noctuas, Phalænas, Pyralides, Tineas, Muſcas, cet. poſtmodum pertractare eſt animus. Genus unumquodque ſingulatim editur, ſed æquali forma, ut poſtmodum eadem ligatura plura posſint conjungi.

Deſcriptiones ſumma, qua fieri potuit, adcuratione formare ſum conatus: characteres a ſolo colore non deſumſi, ubi aliarum fuit notarum copia. Sic vero ſpecierum ex meris ſæpe varietatibus formationem alicubi forte vitare potui. Varietates tamen ubique ſimul deſcripſi.

Ne multis præter necesſitatem, citationibus nimium creſcat labor, quod ad Synonymiam attinet, FABRICII opus recentisſimum ſeu Mantisſam Inſectorum, LINNÆI Syſtema Naturæ & Faunam Svecicam, DE GEERII Hiſtoire des Inſectes unice citavi; præter illos caſus, ubi inſecta ab his

aucto-

auctoribus non fuerunt descripta, aut alii eorundem dederunt figuras coloribus vivis pictas.

Insectorum, quæ tractantur, domicilia ubique annotare studui; in oeconomiam autem ulteriorem nunc inquirere nolui. Observationes, quas in hac entomologiæ parte præcipua instituere potui, alia vice publici juris faciam.

Suis laborare nævis hanc meam operam non dubito. Novas igitur observationes & illustrationes ab omnibus hujus Scientiæ cultoribus enixe mihi expeto, hisque me maximopere obstrictum profiteor.

Dab. in Prædib Hesselby prope Upsaliam die 20 Maji 1789.

STA-

STAPHYLINUS.

ANTENNÆ moniliformes.

ELYTRA abbreviata alas obtegentia.

TARSI quinquearticulati.

CAUDA ſimplex, exſerens duas veſiculas oblongas.

LINNÆUS, qui ſemper alioquin in plures diviſiones majora diſtinxit genera, in ultima ſyſtematis ſui editione viginti ſex tantum deſcripſit Staphylinos, eamque forte ob cauſam genus hoc in plures diſpeſcere noluit familias.

FABRICIUS vero, qui quadraginta quinque deſcripſit, in quibus tamen nonnulli, ſi dicere hoc liceat, meræ ſine dubio ſunt varietates, tria eorum conſtituit genera. Ipſum, hac in re, ut antea indicavi, ſequi non audeo, neque his generibus tanquam ſubdiviſionibus facile uti poſſum, cum primum genus ſolum, ſeu Staphylini ejus proprie ſic dicti, quadruplo fere majorem contineant numerum ſpecierum, quam reliqua duo genera, ſeu Oxypororum & Pæderorum ſimul ſumta. Alii Entomologi hoc genus in ſpecies majores & minores diviſerunt; alii in Staphylinos thorace

æqua-

THORAX niger, ſupra, margine poſtico excepto, lanugine flava tectus, antice angulatus, poſtice rotundatus, longitudine capitis.

ELYTRA lanuginoſa, antice nigra, poſtice cineraſcentia, thorace longiora.

STERNUM violaceum, nitidum.

ABDOMEN longitudine thoracis elytrorumque, ſupra antice nigrum, poſtice flavo-lanuginoſum, ſubtus violaceum, nitidum, maculis paucis flavis, lanuginoſis.

PEDES nigri.

Locus: In Scaniæ Sabuletis rarior.

Obs. *Lanugo flava interdum ætate deteritur.*

Synon. FABRICII MANT. *Inſ. p. 219, N:o 2. St. Hirtus.*

LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 683. N:o 1. Faun. Svec. N:o 839. St. Hirtus.*

DE GEER *Hiſt. des Inſ. t. 4. p. 20. N:o 5. St. Bombilius.*

SCHÆFF. *Icon. T. 36. f. 6.*

N:o II.

N:o II.

STAPHYLINUS MAXILLOSUS.

Niger, nitidus, abdomine elytrisque fasciis cinereis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, nitidum, thorace latius; *Maxillæ* longissimæ; *Antennæ* nigro-fuscescentes, extrorsum crassiores, capite longiores.
THORAX	niger, nitidus, antice truncatus, angulatus, postice rotundatus, longitudine capitis.
ELYTRA	nigra, fascia in medio sinuata, lanuginosa, cinerea, punctis aliquot minutis, nigris; subtus violacea, nitentia.
ALÆ	albæ, macula marginali nigra.
STERNUM	nigrum.
ABDOMEN	supra nigrum, maculis quibusdam lanuginosis, cinereis; subtus nigrum, fascia lata, lanuginosa, cinerea.
PEDES	nigri.

LOCUS: Habitat in fimetis & quisquiliis; in cadavere serpentis semel magnam ejus copiam inveni.

OBSERV. Lanugo cinerea interdum ætate evanescit.

SYNON. FABR. MANT. *Inſ. p.* 220. *N:o* 5. *St. Maxilloſus.*

LINN. *Syſt. Nat.* 2. *p.* 683. *N:o* 3. *Faun. Sv. N:o* 841. *St. Maxilloſus.*

DE GEER *Hiſt. des Inſ.* 4. *p.* 18. *N:o* 4. *St. Balteatus.*

SCHÆFF. *Icon. T.* 20. *f.* 1.

N.O III.

N:o III.

STAPHYLINUS ERYTHROPTERUS.

Niger, maculis lanuginosis, nitentibus, flavis, elytris, antennarum basi, pedibusque rufis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thorace latius, nigrum, supra lanugine brevissima, flava, certo situ auri instar micante tectum; *Palpi* rufi; *Antennæ* rufæ, apice fuscescentes, filiformes, capite duplo longiores.
THORAX	niger, lanugine brevissima flava, præsertim margine nitente, capite longior, antice truncatus, angulatus, postice rotundatus.
ELYTRA	rufa, thorace paulo longiora.
ALÆ	rufescentes, præsertim margine exteriore, absque puncto marginali nigro.
STERNUM	nigrum, maculis lanuginosis, flavis.
ABDOMEN	nigrum, maculis paucioribus, lanuginosis, flavicantibus.
PEDES	rufi.

Locus: In fimetis & agaricis putridis.

 OBS.

Observ. *Lanugo flava interdum exteritur.*

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 220. N:o 8. St. Erythropterus.*

Linn. *Syſt. Nat. 2. p. 683. N:o 4. Faun. Svec. N:o 842. St. Erythropterus.*

De Geer *Hiſt. des Inſ. 4. p. 21. N:o 6. St. Erythropterus.*

Schæff. *Icon. Inſ. t. 2. fig. 2.*

N:o IV.

STAPHYLINUS Olens.

Niger, opacus, immaculatus, antennis apice lunatis.

DESCRIPTIO.

Caput	nigrum, thorace latius; *Antennæ* capite duplo longiores, ultimo articulo lunato.
Thorax	niger, depresſus, longitudine capitis, antice truncatus, angulatus, poſtice rotundatus.
Elytra	nigra, depresſa, longitudine thoracis.
Sternum	nigrum, nitidiusculum.
Abdomen	nigrum, depresſum, marginatum, elytris quadruplo longius.
Pedes	breviores, nigri.

Locus: In Scania rarius habitare fertur; in Europa auſtrali frequens.

Observ. Magnitudo: longitudine omnes noſtros ſuperat, latitudine St. Maxilloſum æquiparat. Ab illuſtr. a Linné *falſo pro var. St. Maxilloſi habitus.*

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 219. N:o 4. St. Olens.*
De Geer *Inſ. 4. p. 22. N:o 3. St. Major niger.*

N:o V.

STAPHYLINUS SIMILIS.

Niger, immaculatus, capite thoraceque politis.

DESCRIPTIO.

CAPUT thorace latius, nigrum, nitidum; *Antennæ* filiformes, capite duplo longiores.

THORAX niger, nitidus, longitudine fere capitis.

ELYTRA depressa, nigra, opaca, thorace paulo longiora.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN depressum, nigrum, opacum, elytris triplo longius.

LOCUS: Habitat in Svecia australi rarius.

OBSERV. *Magnitudo: dimidia præcedentis, a quo etiam differt capite thoraceque politis, abdomineque, respectu elytrorum, breviore.*

SYNON. DE GEER *Ins. 4. p. 22. N:o 7. St. minor niger? sed minime St. Politus* LINNÆI.

SCHÆFF. *Icon. Ins. t. 30. N:o 12.*

N:o VI.

STAPHYLINUS ÆNEOCEPHALUS.

Nigro-fuſcus, elytris rufeſcentibus, capite thoraceque æneis.

DESCRIPTIO.

CAPUT thorace paulo latius, æneum, punctis minutisſimis, confertisſimis, & 4 vel 6 majoribus excavatis; *Palpi* breves, fuſco-rufeſcentes; *Maxillæ* nigræ; *Oculi* diſco nigri, margine pallidi; *Antennæ* filiformes, fuſco-rufeſcentes, longitudine fere dupla capitis.

THORAX capite longior, antice truncatus, poſtice rotundatus, punctis minutisſimis, confertisſimis diſco, & quibusdam paulo majoribus, marginalibus, excavatis.

ELYTRA fuſco-rufeſcentia, thorace breviora.

STERNUM fuſcum, opacum.

ALÆ albæ, coſta, punctoque marginali rufeſcentibus.

ABDOMEN elytris triplo fere longius, fuſcum, lineis quinque obſoletis, pallidioribus.

PEDES fuſco-rufeſcentes.

Locus: In fimetis Uplandiæ.

Observ. *Magnitudo & Statura omnino præcedentis, ut diu hæsitaverim, utrum species distincta, an varietas esset, sed quoniam color omnino differt, nec mixti unquam occurrunt, vix dubitare licet, quin distingui mereantur.*

Synon. De Geer *Inf. 4. p. 22. N:o 8. St. Æneocephalus.*

N:o VII.

N:o VII.
STAPHYLINUS CYANEUS.

Niger, capite, thorace, elytrisque cyaneis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thorace latius, ſupra cyaneum, ſubtus nigrum, nitidum; *Oculi* diſco nigri, margine pallidi; *Maxillæ Palpique* nigri; *Antennæ* filiformes, capite duplo longiores, nigræ.
THORAX	longitudine capitis, convexus, antice obtuſus, poſtice rotundatus, cyaneus.
ELYTRA	cyanea, longitudine thoracis.
SCUTELLUM	nigrum.
STERNUM	nigrum.
ABDOMEN	nigrum, elytris plus duplo longius.
PEDES	nigri.

Locus: Habitat rarisſime in inſula Vermdön, Dom. ÖDMANN; in Finlandia, Dom. MODEER.

OBSERV. *Magnitudo & ſtatura St. erytbropteri.*

SYNON. GEOFFROY *Hiſt. des Inſ. t. 1. p. 361. N:o 2. St. Atro-coeruleſcens.*

N:o VIII.

STAPHYLINUS MURINUS.

Cinereus, pubescens, æneo nigroque nebulosus, abdomine conico, apice pedibusque nigris.

DESCRIPTIO.

CAPUT	depressum, latitudine thoracis, subtilissime punctatum, subæneum; *Palpi* nigri; *Oculi* brunnei; *Antennæ* filiformes, rufescentes, apice nigræ, capite duplo longiores.
THORAX	longitudine capitis, antice angulatus, truncatus, postice rotundatus, cinereo-pubescens, maculis æneis nigrisque tessellatus.
STERNUM	nigrum, lanugine cinerea, certo situ splendente tectum.
ELYTRA	thoracis longitudine, supra æneo-cinerascentia, maculis tessellatis, nigris, subtus cyanea, nitida.
ALÆ	abdomine longiores, apice nigrescentes, macula marginali nervisque nigris.
ABDOMEN	conicum, longitudine fere dimidii corporis, dorso, basi cinereo-æneum, maculis nigris tes-

tesſellatis, apice totum nigrum; ſubtus nigrum, lanugine cinerea in marginibus ſegmentorum perlucente.

PEDES nigri.

Locus: Hab. in fimetis ubique.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 219. N:o 3. St. Murinus.*
LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 683. N:o 2. Faun. Sv. N:o 840. St. Murinus.*
DE GEER *Inſ. 4. p. 12. N:o 1. St. Villoſus.*

N:o IX.

N:o IX.

STAPHYLINUS PUBESCENS.

Niger, nebulosus, capite femoribusque annulo flavo-ferrugineo, abdomine obtuso.

DESCRIPTIO.

CAPUT flavo-lanuginosum, latitudine thoracis; *Palpi Maxillæque* nigri; *Antennæ* capite duplo longiores, extrorsum crassiores, basi flavæ, apice nigricantes.

THORAX capite longior, antice truncatus, postice rotundatus, niger, lanugine brevissima, ferruginea, parcius tessellatus.

ELYTRA thorace longiora, nigra, maculis paucioribus, lanuginosis, ferrugineis.

ABDOMEN obtusum, elytris vix duplo longius, dorso nigro, ferrugineo, parum lanuginoso, subtus nigrum lanugine densa, cinerea, certo situ micante, tectum.

PEDES fusci, annulo femorali ferrugineo.

Locus: Habit. in Scania rarius. Dom. QUENTZEL. E Gallia mihi a Dom. D'ANTIC missus.

OB-

OBSERV. *A priori, cui magnitudine & Statura similis est, colore & abdomine obtuso omnino differt.*

SYNON. DE GEER *Inf. 4. p. 17. N:o 2. St. Pubescens.*
GEOFF. *Inf. t. 1. p. 363. N:o 8. St. Pubescens.*

N:o x.

N:o X.

STAPHYLINUS RUFUS.

Glaber, rufus, capite, sterno, ano elytrisque postice nigris.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum, thorace latius; *Maxillæ* validissimæ, capitis longitudine; *Palpi* rufi, inæquales: anteriores filiformes, posteriores securiformes; *Antennæ* basi rufæ, apice fuscæ, breviores; extrorsum crassiores.

THORAX rufus, glaber, capite brevior, antice truncatus, angulatus, postice rotundatus.

STERNUM nigrum, nitidum.

ELYTRA nigra: basi angulo exteriore macula magna, rufa, quæ tamen marginem interiorem haud attingit.

ABDOMEN conicum, rufum, apice nigrum.

PEDES rufi, femoribus omnibus basi nigris.

Locus: Hab. in boletis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 222. N:o 1. Oxyporus rufus.*
LINN. *Syst. Nat. p. 684. N:o 6. Faun. Svec. N:o 844. St. Rufus.*
DE GEER *Hist. des Inf. 4. p. 24. N:o 10. St. Rufus.*
SCHÆFF. *Icon. Inf. t. 85. f. 3.*

N:o XI.

N:o XI.

STAPHYLINUS CARABOIDES.

Depressus, rufo-flavus, elytris pedibusque pallidioribus, antennis longioribus.

DESCRIPTIO.

CAPUT	vix thorace latius, obſcure rufum; *Antennæ* paulo dilutiores, longitudine fere corporis, filiformes; *Oculi* globoſi, nigri, prominentes.
THORAX	rufus, capite longior, rotundatus, poſtice paulo anguſtatus.
STERNUM	rufo-flavum.
ELYTRA	depreſſa, teſtacea: capitis thoracisque longitudine.
ABDOMEN	breve, antice rufo-flavum, poſtice fuſcum.
PEDES	teſtacei.

LOCUS: Habitat in putridis, ſub foliis disjectis vere & autumno, & intra folia arborum æſtate convoluta, frequens.

OBSERV. *Color rufo-flavus in brunneum interdum magis tranſit.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 222. N:o 33. St. Caraboides.*

LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 685. N:o 20. Faun. Svec. N:o 854. St. Caraboides.*

DE GEER *Hiſt. des Inſ. 4. p. 25. N:o 12. St. Fulvus.*

N:o XII.

N:o XII.

STAPHYLINUS PICEUS.

Niger, thorace depresſo: lineis elevatis tribus, elytris piceis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, rugoſum, thoracis latitudine; *Antennæ* extrorſum craſſiores, longitudine capitis thoracisque.
THORAX	niger, depresſus, ſubmarginatus, rugoſus, lineis tribus elevatis, longitudinalibus, antice truncatus, angulatus, poſtice rotundatus.
ELYTRA	picea, rugoſa, truncata, longitudine thoracis.
STERNUM	nigrum.
ABDOMEN	nigrum, longitudine dimidii corporis.
PEDES	pallidi.

LOCUS: Habitat frequens in ſtercore bovino.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 222. N.o 35. St. Piceus.*
LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 686. N:o 25. St. Piceus.*

VAR. β.

Niger, immaculatus, rugoſus.

LOCUS: Habitat rarius cum præcedente.

OBSERV. Paulo major, at Statura & Fabrica omnino eadem.

SYNON. FABR. MANT. *Inſ. p. 222. N:o 34. St. Rugoſus.*

N:o XIII.

N:o XIII.

STAPHYLINUS Bicolor.

Fuſco-griſeus, capite, thorace abdomineque ſupra nigris.

DESCRIPTIO.

Caput thoracis latitudine, nigrum, convexum: pilis rarioribus; *Antennæ* fuſcæ, vix extrorſum craſſiores, capitis thoracisque longitudine.

Thorax niger, convexus, (non vero gibbus), immarginatus, poſtice rotundatus.

Elytra fuſco-griſea, ſubpunctata, longitudine thoracis, poſtice truncata, angulis obtuſis.

Sternum griſeo-fuſcum.

Abdomen marginatum, thorace elytrisque paulo longius; ſupra nigrum, ſubtus griſeo-fuſcum.

Pedes fuſco-cineraſcentes.

Locus: Habitat in fimetis parcius.

Observ. Colore & magnitudine omnino St. Picei, ſed lævis, & thorax haud depreſſus.

N:o XIV.

STAPHYLINUS Fulgidus.

Elongatus ater, nitidus, elytris, pedibus, abdominisque apice rufis.

DESCRIPTIO.

Caput	thoracis latitudine, oblongum, punctulatum, nigrum, nitidum; *Antennæ* rufo-fuscescentes, filiformes, capite longiores.
Thorax	longitudine capitis, convexus, submarginatus, niger, nitidus, antice truncatus, angulatus, postice rotundatus.
Sternum	nigrum.
Elytra	rufa, thoracis longitudine.
Alæ	fuscescentes.
Abdomen	elytris triplo longius, nigrum, summo apice rufo.
Pedes	rufi.

Locus: Habitat in fimetis.

Observ. Magnitudo: longitudine St. Murini, at triplo angustior.

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 220. N:o 14. St. Fulgidus.*

Var. β.

Elongatus ater: elytris pedibusque testaceis.

Observ. Paulo minor, sed fabrica & statura omnino eadem, ut non distingui mereantur; præcedente multo rarior.

N:o XV.

N:o XV.

STAPHYLINUS TRICOLOR.

Elongatus niger, elytris pedibusque rufis, thorace antice rubro.

DESCRIPTIO.

CAPUT	oblongum, nigrum, nitidum, punctulatum, thoracis latitudine; *Antennæ* vix extrorsum crassiores, capite longiores.
THORAX	capite paulo brevior, nitidus, antice truncatus ruber; postice subattenuatus, rotundatus, niger.
ELYTRA	rufa, longitudine thoracis.
STERNUM	rufescens.
ALÆ	rufescentes.
ABDOMEN	dorso nigrum, summo apice subtusque rufescens, elytris triplo longius.
PEDES	rufi.

LOCUS: Habitat in fimetis.

OBSERV. *Statura præcedentis, sed differt magnitudine paulo minori, thoraceque postice attenuato, antice rubro. An hic esset diu hæsi, sed* FABRICIUS *ipse dubia mea litteris suis profligavit: minus igitur accurate ejus descriptio quadrat. Forsan varietatem, thorace toto rubro, ill. Auctor vidit, quæ mihi non occurrit.*

SYNON. FABR *Mant. Inf. p. 221. N:o 30. St. Tricolor.*

N:o XVI.

STAPHYLINUS AFFINIS.

Elongatus rufo-fuſcus, nitidus, ſubtus dilutior, palpis filiformibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT latitudine thoracis, elongatum, declive, ſubpiloſum; *Oculi* nigri, minuti; *nucha* magis nigricans, ſubtus magis rufeſcens; *Antennæ* capite longiores, extrorſum paulo crasſiores, rufeſcentes; *Palpi* filiformes.

THORAX rufo-fuſcus, nitidus, ſubtus dilutior, convexus, immarginatus, poſtice rotundatus, vix capite longior.

ELYTRA rufo-fuſceſcentia, inangulata, longitudine & latitudine thoracis.

STERNUM rufum.

ABDOMEM cylindricum, dorſo rufo-fuſcum; ſubtus dilutius, longitudine fere dimidii corporis, latitudine thoracis.

PEDES breves, rufi.

LOCUS: Habitat in fimetis.

OBSERV. *Statura omnino præcedentis, at paulo minor, nec collari ſangvineo; forſan tantum varietas ſexus.*

N:o XVII.

STAPHYLINUS Elongatus,

Niger, pedibus elytrisque postice rufis, palpis anterioribus clavatis.

DESCRIPTIO.

Caput	thoracis latitudine, nigrum, subpunctatum; *Antennae* filiformes; rufescentes, capitis thoracisque longitudine; *Palpi* anteriores clavati, posteriores filiformes.
Thorax	niger, subpunctatus, antice posticeque rotundatus, inangulatus, longitudine capitis.
Elytra	thoracis longitudine, antice nigra, postice obscure rufa.
Sternum	nigrum.
Abdomen	cylindricum, nigrum, vix longitudine dimidii corporis.
Pedes	rufi.

Locus: Hab. in stercore & sub lapidibus sat frequens.

Observ. *Statura praecedentium, at distinctus palpis clavatis, & elytris antice nigris.*

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p.* 223. *N:o* 3. *Paederus elongatus.*

Linn. *Syst. Nat.* 2. *p.* 685. *N:o* 14.

N:o XVIII.

STAPHYLINUS RUFICOLLIS.

Niger, elytris coeruleis, femoribusque basi rufis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum, subpunctatum, thoracis latitudine; *Antennæ* filiformes, capite thoraceque longiores, nigræ, basi pallidæ; *Palpi* anteriores clavati, rufi: clava nigra, posteriores filiformes.

THORAX globosus, rufus, capitis longitudine.

ELYTRA violacea, nitida, punctata, thorace paulo longiora.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum, cylindricum, dimidio corpore longius: setis longioribus.

PEDES nigri, femoribus basi rufis.

LOCUS: In Scania rarius habitare fertur; in Holsatia frequens sub lapidibus littoralibus.

OBSERV. Magnitudo & Statura præcedentis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p.* 223. *N:o* 2. *Pæderus ruficollis.*

GEOFFROY *Hist. des Inf. T.* 1. *p.* 370. *N:o* 23. *St. Atro-coerulescens thorace rubro.*

N:o XIX.

N:o XIX.

STAPHYLINUS RIPARIUS.

Rufus, elytris coeruleis; capite, sterno, geniculis abdominisque apice nigris.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thoracis latitudine; *Palpi* rufi: anteriores clavati: clava nigra, posteriores filiformes; *Antennæ* filiformes, nigræ, basi rufescentes, capite thoraceque paulo longiores.
THORAX	ovalis, convexus, rufus, capite paulo longior.
ELYTRA	violacea, thorace paulo longiora.
STERNUM	nigrum.
ABDOMEN	longitudine dimidii corporis, rufum: duobus ultimis segmentis nigris.
PEDES	rufi, geniculis nigris.

LOCUS: Habitat ad ripas arenosas.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 223. N:o 1. Pæderus riparius.*

LINN. *Syst. Nat. 2. p. 684. N:o 8. Faun. Svec. N:o 846. St. riparius.*

DE GEER *Hist. des Inf. t. 4. p. 28. N:o 14. St. riparius.*

SCHÆFF. *Icon. T. 71. fig. 3.*

N:o XX.

STAPHYLINUS TESTACEUS.

Teſtaceus, glaber, capite rufo, oculis nigris.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thoracis latitudine, convexum, rufum; *Oculi* minutisſimi, nigri, *Antennæ* filiformes, capitis thoracisque longitudine; *Palpi* anteriores clavati; poſteriores filiformes.
THORAX	teſtaceus latitudine paulo longior.
ELYTRA	teſtacea, magnitudine thoracis.
STERNUM	teſtaceum.
ABDOMEN	thorace elytrisque paulo longius, teſtaceum, marginibus ſegmentorum dorſo paulo rufeſcentibus.
PEDES	breves, teſtacei.

OBSERV. Statura & magnitudine omnino ſequentis. Non niſi unicum vidi: forſan varietas, aut nuper e nympha declaratus colorem in ſtatu adultiori forte mutaturus.

N:o XXI.

N:o XXI.

STAPHYLINUS QUADRATUS.

Niger, nitidus, immaculatus, thorace quadrato, palpis anterioribus clavatis, antennarum articulis ſubæqualibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT	latitudine thoracis, nigrum, pilis rarioribus; *Antennæ* filiformes: articulis ſubæqualibus, longitudine dimidii corporis; *Palpi* anteriores clavati; poſteriores filiformes.
THORAX	quadratus, angulis obtuſis, niger, nitidus, elytrorum fere magnitudine.
ELYTRA	nigra, ſubquadrata.
STERNUM	nigrum.
ALÆ	albæ.
ABDOMEN	nigrum, longitudine thoracis elytrorumque, ſetis longioribus.
PEDES	*Femora* & *Tibiæ* nigra; *Tarſi* fuſceſcentes.

LOCUS: Hab. in fimetis.

OBSERV. *Magnitudo & habitus St. riparii.*

VAR. β.

Niger immaculatus, pedibus rufis.

LOCUS: Habitat cum præcedente, ſed multo rarior, nec diſtinctus ſpecie, cum fabrica omnino ſit eadem.

N:o XXII.

STAPHYLINUS PUNCTULATUS.

Niger, capite, thorace elytrisque punctatis, palpis filiformibus, primo articulo antennarum reliquis duplo longiore.

DESCRIPTIO.

CAPUT thoracis latitudine, declive, nigrum, confertissime punctatum; *Palpi* filiformes; *Antennæ* capite paulo longiores: primo articulo reliquis duplo longiore.

THORAX niger, nitidus, longitudine capitis, punctatus, antice truncatus, postice rotundatus.

STERNUM nigrum.

ELYTRA nigra, punctulata, thorace paulo longiora.

ALÆ albæ.

ABDOMEN nigrum, cylindricum, longitudine fere dimidii corporis.

PEDES nigri, interdum fuscescentes.

LOCUS: Habitat in fimetis rarius.

OBSERV. Differt a priori, cui magnitudine & colore omnino similis, quod punctatus, quod caput magis declivum, thorax magis rotundatus, palpi omnes filiformes, & primus articulus antennarum reliquis duplo longior sit.

N:o XXIII.

N:o XXIII.

STAPHYLINUS CANALICULATUS.

Rufo-flavus, capite abdominisque apice nigris, thorace postice canaliculato.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, thoracis latitudine; *Antennæ* extrorsum crassiores, capite thoraceque longiores, basi rufo-flavescentes, apice fuscæ; *Palpi* æquales filiformes, rufo-flavescentes.
THORAX	flavo-rufescens, rotundatus, postice medio canaliculatus, elytrorum longitudine.
STERNUM	rufo-flavescens.
ELYTRA	breviora, flavo-rufescentia.
ABDOMEN	marginatum, reliquo corpore longius, basi rufo-flavum, apice nigrum.
PEDES	rufo-flavi.

Locus: Habitat sub lapidibus, & foliis putridis, tempore autumnali & primo vere satis frequens.

OBSERV. *Magnitudo præcedentibus minor. Color rufo-flavus interdum magis obscurus.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 221. N:o 29. St. Canaliculatus.*

N:o XXIV.

N:o XXIV.

STAPHYLINUS SULCATUS.

Niger glaber, thorace longitudinaliter unisulcato.

DESCRIPTIO.

CAPUT	vix thorace latius, nigrum; *Antennæ* fuſceſcentes, extrorſum craſſiores, capite thoraceque longiores.
THORAX	niger, cordatus, per totam longitudinem profunde ſulcatus.
ELYTRA	thoracis longitudine ſed latiora, nigra, convexa.
STERNUM	nigrum.
ALÆ	albæ, hyalinæ, abdomine longiores.
ABDOMEN	nigrum, longitudine dimidii corporis.
PEDES	fuſci, interdum minus, interdum magis flaveſcentes.

LOCUS: Habitat in Uplandia rarius.

OBSERV. *Magnitudo: inter minimos eſt, & præcedente quadruplo minor.*

N:o XXV.

N:o XXV.

STAPHYLINUS JUNO.

Niger, oculis magnis, prominentibus, antennis clavatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, breve, thorace latius, ſubtilisſime punctatum; *Oculi* magni, valde prominuli; *Palpi* æquales, longiores; *Antennæ* nigræ, longitudine thoracis, baſi tenuisſimæ, interdum flavicantes: quatuor ultimis articulis crasſioribus.

THORAX niger, cylindricus, ſubtilisſime punctatus, capite & elytris, præſertim poſtice anguſtior.

STERNUM nigrum.

ELYTRA breviora, nigra, poſtice retuſa, ſubtilisſime punctata.

ABDOMEN nigrum, cylindricum, longitudine dimidii corporis.

PEDES nigri, interdum flavi, geniculis modo nigris; rarius flavi, immaculati.

Locus: Habitat frequens in littoribus.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p.* 221. *N:o* 21. *St. Clavicornis.*

GEOFFR. *Hiſt. des Inſ. T.* 1. *p.* 371. *N:o* 24. *Var.* α. *St. Juno.*

VAR. β.

VAR. β.

Niger oculis prominulis, antennis clavatis, elytris puncto flavo.

LOCUS: Hab. in littoribus cum præcedente, ſed minus frequens.

OBSERV. *Fabrica & Statura omnino præcedentis, ut ſecundum obſervationem ill.* GEOFFROY *non diſtingvi queant; cumque & majores & minores utriusque varietatis occurrant, punctum flavum non esſe differentiam ſexualem credo, ut* GEOFFROY *conjicit.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 221. N:o 20. St. Biguttatus.*

LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 685. N:o 16. Faun. Sv. N:o 847. St. Bipuſtulatus.*

GEOFFR. *Hiſt. des Inſ. T. 1. p. 371. N:o 24. Var. β. St. Juno.*

N:o XXVI.

N:o XXVI.

STAPHYLINUS ORBICULATUS.

Niger, thorace convexo, orbiculato, antennis, palpis pedibusque fusco-rufescentibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, supra infraque convexum, orbiculatum, thorace latius; *Antennæ* filiformes, vix capitis thoracisque longitudine; *Palpi* fusco-rufescentes.
THORAX	niger, orbiculatus, convexus, capite elytrisque angustior, profunda incisura ab illis disjunctus, ut tenuissime illis adhæreat.
ELYTRA	nigra, quadrata; thorace longiora & latiora.
STERNUM	nigrum.
ABDOMEN	nigrum, vix thorace elytrisque longius.
PEDES	fusco-rufescentes.

Locus: Hab. rarius in Uplandia.

OBSERV. Magnitudo St. Canaliculati, sed angustior. Ab omnibus Staphylinis nigris optime distingvitur thorace convexo, orbiculato, a capite majori valde disjuncto.

N:o XXVII.

N:o XXVII.

STAPHYLINUS ANGUSTATUS.

Linearis niger, thorace orbiculato convexo; palpis, antennis, elytris postice pedibusque flavo-rufis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, thorace latius, fupra infraque convexum; *Antennæ* filiformes breviores; *Palpi* flavo-rufefcentes.
THORAX	niger, convexns, rotundatus, poftice attenuatus, capite elytrisque anguftior, profundis incifuris ab iis disjunctus.
ELYTRA	quadrata, thorace paulo longiora latioraque, antice nigra, poftice rufo-flavefcentia.
ALÆ	albæ, hyalinæ, abdomine breviores.
ABDOMEN	nigrum, dimidio corpore fere longius.
PEDES	flavo-rufefcentes.

LOCUS: Habitat in apricis Uplandiæ primo vere rarius; intra fpicas fecalis, in horrea ad Hesfelby invecti, femel plures inveni.

OBSERV. Facies & ftatura præcedentis, fed duplo fere

fere minor, & respectu latitudinis, angustior. Differt a St. Elongato, cui colore omnino affinis, magnitudine quadruplo minori, thorace rotundiori magis convexo, atque palpis omnibus æqualibus, filiformibus.

N:o XXVIII.

STAPHYLINUS Gracilis.

Linearis rufus, elytris pedibusque pallidioribus, thorace rotundato, abdomine apice fufco.

DESCRIPTIO.

Caput	thorace latius, convexum, rufum; *Oculi* nigri; *Antennæ* filiformes, breviores.
Thorax	rufus, convexus, rotundatus, poftice attenuatus, capite elytrisque anguftior, ab illis profunda incifura disjunctus.
Elytra	teftacea, quadrata, thorace paulo longiora & latiora.
Sternum	rufum.
Abdomen	rufum, apice fufcum, dimidio corpore fere longius.
Pedes	flavefcentes.

Locus: Hab. in Uplandia rarius; intra segetem horreis ad Hesfelby illatam femel magnam ejus copiam inveni.

Observ. *Statura, magnitudo & fabrica præcedentis, ut forfan meræ varietates ejusdem fpeciei fint. Ut obfervavi, etiam mixti occurrunt, fed color omnino differt.*

N:o XXIX.

N:o XXIX.

STAPHYLINUS SANGVINEUS.

Niger, elytris sangvineis, abdomine gibbo, antennis longioribus.

DESCRIPTIO.

CAPUT thoracis latitudine, nigrum, rugosum; *Oculi* parum prominuli; *Palpi* flavescentes; *Antennæ* fuscæ, extrorsum crassiores, longitudine fere totius corporis.

THORAX niger, gibbus, rugosus, abdodomine multo angustior.

STERNUM nigrum.

ELYTRA læte sangvinea, convexa, subrotundata, basi striata.

ABDOMEN nigrum, maxime gibbum, brevissimum, unde singularis facies.

PEDES: *Femora* fusca; *Tibiæ* & *Tarsi* flavescentes.

LOCUS: Hab. rarissime ad Upsaliam; e Germania a Dom. SCHNEIDER, & e Gallia à Dom. D'ANTIC mihi missus.

OBSERV. *Magnitudo: minor; vix magn. Staph. sulcati, quo magis gibbus est. Descriptio* LINNÆANA *ambigua, unde etiam plures. Entomologi St. fulgidum, aut nitidum pro St. sangvineo* LINN. *habuerunt, sed omnino falsum.*

SYNON. LINN. *Syst. Nat. p. 689. N:o 19. Faun. Svec. N:o 853. St. Sangvineus.*

FAMILIA SECUNDA

Capite thorace anguſtiore.

N:o XXX.

STAPHYLINUS NITIDUS.

Ater nitidus, elytris rufis, alis nigris.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thorace paulo anguſtius, nigrum, nitidum, ſubtilisſime punctatum: *Nucha* glabra; *Antennæ* filiformes, capite thoraceque paulo longiores; *Oculi* albi, medio nigri.
THORAX	niger, longitudine elytrorum, antice compreſſus, angulis acutis; poſtice rotundatus, ſubtilisſime punctatus.
ELYTRA	rufa, longitudine thoracis.
STERNUM	nigrum.
ALÆ	fuſceſcentes, apice obſcuriores.
PEDES	nigri; rarius obſcure brunnei.

Locus: Hab. in fimetis parcius.

Observ. *Variat interdum elytris obſcure rufis & thorace punctis rarioribus. Numerus punctorum excavatorum thoracis in hac & tribus ſequentibus ſpeciebus nimis va-*

variat: interdum disco thoracis fere glabro inveniuntur. Minus igitur accurate ill. A LINNÉ *characterem essentialem St. politi statuit in thorace punctis decem excavatis, ut etiam ill.* GEOFFROY *antea observavit.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 220. N:o 13. St. Nitidus.*

N:o XXXI.
STAPHYLINUS Politus.

Ater nitidus, capite, thorace elytrisque æneis, alis nigris.

DESCRIPTIO.

Caput	æneum, thorace anguſtius, rotundatum, convexum, margine punctatum; *Antennæ* filiformes, capite thoraceque paulo longiores; *Oculi* albi medio nigri.
Thorax	æneus, punctatus, antice truncatus, angulatus, poſtice rotundatus.
Elytra	ænea, thoracis longitudine, ſed paulo latiora.
Alæ	fuſcæ, apice obſcuriores, corpore longiores: macula magna marginali nigra.
Sternum	nigrum.
Abdomen	nigrum, longitudine dimidii corporis.
Pedes	nigri.

Locus: Hab. frequens in ſtercore.

Observ. *Color æneus interdum magis obſcurus eſt & caput vix thorace anguſtius.*

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 220. N.o 11. St. Politus.*
Linn. *Syſt. Nat. 2. p. 683. N:o 5. Faun. Svec. N:o 843. St. Politus.*
De Geer *Inſ. T. 4. p. 23. N:o 9. St. Æneus.*
Var. *β.*

VAR. β.

Totus niger nitidus, alis nigris.

Simillimus præcedenti; alis longis nigris optime a reliquis Staphylinis nigris hujus familiæ diſtingvitur.

Locus: Hab. in ſtercore rarius.

N:o XXXII.

STAPHYLINUS MARGINATUS.

Niger nitidus, thoracis lateribus femoribusque flavis, alis nigris.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thorace angustius, convexum, nigrum, margine punctatum; *Antennæ* capite thoraceque longiores nigræ; primo articulo subtus flavo; *Palpi* flavi; *Oculi* albi medio nigri.
THORAX	niger, punctatus, lateribus flavis; antice angustatus, truncatus, postice rotundatus.
ELYTRA	nigro-fuscescentia, thorace latiora.
ALÆ	fuscæ, apice obscuriores: macula marginali nigra.
PEDES;	*Femora* flava; *Tibiæ* & *Tarsi* fuscescentes.

LOCUS: Habitat in fimetis parcius.

OBSERV. Statura, magnitudine, & habitu St. nitidus, politus & marginatus ita conveniunt, ut vix nisi colore distingui possint; forsan meræ sunt varietates; sed cum in copulis juncti nondum observati sint, adhuc sub judice lis est.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 221. N:o 1. St. Marginatus.*

N:o XXXIII.

N:o XXXIII.

STAPHYLINUS VARIANS.

Niger nitidus, thorace punctulato, immarginato, alis albis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, thorace angustius, convexum, rotundatum, punctulatum; *Oculi* nigri margine albicantes; *Antennæ* filiformes, capite thoraceque paulo longiores.
THORAX	niger, nitidus, convexus, punctatus, immarginatus: lateribus compressis; antice angustatus, angulatus, postice rotundatus.
ELYTRA	nigra, thoracis longitudine.
STERNUM	nigrum.
ALÆ	amplæ, albo-hyalinæ: macula minuta marginali subfusca.
ABDOMEN	nigrum, obtusum, longitudine dimidii corporis.
PEDES	nigri.

LOCUS: Habitat frequens in stercore.

OBSERV. *Ab auctoribus cum St. Polito confusus videtur, sed omnino differt alis albis & magnitudine duplo minore.*

VAR.

VAR. β.

Niger nitidus, elytris puncto obsoleto rubro, femoribus anterioribus interdum basi rufis.

LOCUS: Habitat cum præcedenti, sed minus frequens.

OBSERV. *An sit Staph. biguttatus* LINNÆI, *ob ejus descriptionis ambiguitatem difficile est probatu; minime vero ejus St. bipustulatus esse potest, quia nec valde oblongus, nec antennæ clavatæ sunt, quæ notæ in var. β. St. Junonis optime quadrant.*

VAR. γ.

Niger, pedibus rufo-flavescentibus.

LOCUS: Habitat in Uplandia.

VAR. δ.

Niger, pedibus rufo-flavescentibus, elytris piceis.

LOCUS: Habitat cum præcedentibus parcius.

OBSERV. *Varietates α, β, γ fabrica & statura omnino similes, at var. γ præcedentibus paulo minor, & var. δ duplo fere illis minor, capite majori, latitudine fere thoracis, ut forsan species distincta sit, quamvis statura & habitu cum præcedentibus ita conveniat, ut probe illum Staphylinum distingvere haud valuerim.*

N:O XXXIV.

N:o XXXIV.

STAPHYLINUS ANALIS.

Niger nitidus, elytris, ano pedibusque rufo-flavescentibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT	minutum, nigrum, nitidum, thorace dimidio angustius; *Antennæ* subfiliformes nigræ, basi apiceque rufo-flavæ, dimidio fere corporis longitudine.
THORAX	niger, nitidus, immarginatus; antice angustatus angulis obtusis; postice rotundatus.
STERNUM	nigrum, nitidum.
ELYTRA	rufo-flava, glabra, capitis thoracisque longitudine, thoracis latitudine.
PEDES	rufo-flavi.

LOCUS: Hab. in fimetis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 221. N:o 19. St. Analis.*

VAR. β.

Niger nitidus, elytris, thorace, ano pedibusque rufo-flavis.

LOCUS: Habitat cum præcedente.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 221. N:o 25. St. Merdarius.*

OB-

Observ. *Var.* α *paulo minor, ſed me judice hinc ſejungi non meretur.*

VAR. γ.

Niger nitidus, ano pedibusque rufo-flaveſcentibus, elytris rufis: angulo exteriore poſteriore nigro.

Locus: Habitat apud nos rarisſime, nec niſi unicum vidi.

Observ. *Statura omnino var.* α, *at paulo minor.*

N:o xxxv.

N:o XXXV.

STAPHYLINUS ATRICAPILLUS.

Rufus, capite, ano, ſterno elytrisque medio nigris.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum, elongatum, vix dimidii thoracis latitudine; *Palpi* rufi; *Antennæ* extrorſum crasſiores, capitis thoracisque longitudine, nigræ, baſi apiceque rufæ.

THORAX rufus, nitidus, immarginatus, antice anguſtatus.

ELYTRA thorace longiora latioraque, nigra, nitida: macula magna baſeos in angulo exteriore, margineque poſtico teſtaceo.

STERNUM nigrum, nitidum.

ALÆ amplæ, corpore longiores, albo-hyalinæ.

ABDOMEN rufum, poſtice attenuatum, ſegmentis duobus ultimis nigris.

PEDES longiores, rufo-flavi.

LOCUS: Habitat Upſaliæ in boletis rarior.

OBSERV. Magnitudo & ſtatura omnino var. β. St. Analis, ſed differt longitudine capitis & colore.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 221. N:o 26. St. Atricapillus.*

N:o XXXVI.

N:o XXXVI.

STAPHYLINUS Collaris.

Rufo-flavus, capite, ſterno, ano elytrisque nigris.

DESCRIPTIO.

Caput	thorace anguſtius, nigrum, nitidum; *Antennæ* piloſæ, nigræ apice flavicantes, extrorſum crasſiores, capite thoraceque paulo longiores.
Thorax	brevior, rufo-flavus, nitidus, ſubtilisſime punctatus.
Elytra	breviora, vix thorace longiora, nigra, nitida, ſubtilisſime punctata.
Sternum	nigrum, nitidum.
Abdomen	dimidio corpore longius, marginatum, rufum, ano nigro.
Pedes	flavi.

Locus: Habitat apud nos rarisſime, nec niſi unicum ſub lapide, tempore vernali in Olunda Uplandiæ inveni.

Observ. *Similis St. ripario, ſed dimidio minor, nec elytra ſunt violacea, nec genicula nigra.*

Synon. Schæff. *Inſ. p. , t.*

N:o XXXVII.

N:o XXXVII.

STAPHYLINUS TRICORNIS.

Niger, capite thoraceque cornuto, elytris rubris: margine interiore & exteriore nigro.

DESCRIPTIO MARIS:

CAPUT thorace anguſtius, nigrum, depreſſum: cornibus duobus porrectis, longitudine dimidii capitis; *Antennæ* extrorſum craſſiores, capitis thoracisque longitudine.

THORAX niger, punctatus, convexus, ſubmarginatus; poſtice rotundatus, antice retuſus: cornu valido, porrecto, longitudine thoracis.

ELYTRA ſubquadrata, thorace, cornu excepto, paulo longiora, rubra, margine interiore & anteriore nigro.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum, marginatum, vix dimidii corporis longitudine.

PEDES: *Femora* nigra; *Tibiæ* & *Tarſi* fuſceſcentes.

FOEMINA mari ſimillima, ſed thorace mutico

tico cornibusque capitis minoribus.

Locus: Rarissime obvius: a Dom. QUENTZEL in stercore bovino ad Scanoram Scaniæ lectus; a Dom. GEDNER in plateis Caroli-Coronæ, tempore vernali.

Synon. HERBST *St. Tricornis.*

N:o XXXVIII.

N:o XXXVIII.

STAPHYLINUS Fuscipes.

Niger, elytris brevisſimis pedibusque fuſcis, thorace gibbo.

DESCRIPTIO.

Caput thorace anguſtius, minutum, nigrum; *Antennæ* extrorſum craſſiores, capitis thoracisque longitudine.

Thorax niger, gibbus, longitudine latior; poſtice rotundatus.

Elytra thorace breviora, depreſſa, fuſca, certo ſitu rufeſcentia: margine interiore poſtice rotundato.

Alæ albæ, apice, præſertim margine exteriore nigreſcentes.

Sternum nigrum.

Abdomen nigrum, obtuſum, latitudine elytrorum, reliquo corpore fere duplo longius, dorſo depreſſo, marginato; ſubtus convexum.

Pedes fuſci.

Locus: Habitat rarius in fimetis; inter olera putrida cellis ſubterraneis ejecta, ſemel copioſe a me repertus.

Observ. Magnitudo: longitudine præcedentis, ſed multo latior. Deſcriptiones auctorum ancipites, ſed Pr. Fabricius *me litteris certiorem fecit hanc ſpeciem ſuum eſſe St. fuſcipedem.*

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 221. N:o 22. St. Fuſcipes.* Linn. *Syſt. Nat. 2. p. 685. N:o 23. Faun. Sv. N:o 857.*

N:o XXXIX.

STAPHYLINUS LIMBATUS.

Niger, elytris brevisſimis: margine pedibusque rufeſcentibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thorace anguſtius, nigrum; *Antennæ* capite thoraceque paulo longiores, baſi apiceque rufeſcentes, extrorſum crasſiores: primo ultimoque articulo reliquis longioribus.
THORAX	fuſco-nigreſcens, nitidus, convexus, longitudine latior; antice angulatus, poſtice rotundatus.
STERNUM	rufeſcens.
ELYTRA	nigra, margine, præſertim anteriore rufo-fuſceſcente, ſeu rufo-fuſceſcentia: macula magna ſubquadrata nigra.
ALÆ	albæ: macula marginali nigra.
ABDOMEN	reliquo corpore longius: dorſo nigro, plano, marginato; ſubtus convexum, rufeſcens.
PEDES	rufi.

VAR. β.

Niger, elytris brevisſimis: margine pedibusque rufeſcentibus; thorace poſtice medio canaliculato.

LOCUS: Habitat in putridis & ligno antiquo rarius.

OB-

OBSERV. *Paulo minor præcedenti, cui simillimus, forsan mas, Statura fuscipedis, at minor & thorace minus gibbo. Var. β. a St. Canaliculato differt colore, capite angustiore, & thorace minus rotundato, magis gibbo.*

SYNON. LINN. *Syst. Nat. 2. p. 585. N:o 17. Faun. Svec. N:o 848. St. Lignorum? sed descriptio minus bene quadrat.*

FABR. *Mant. Ins. p. 221. N:o 27. St. Marginellus?*

N:o XL.

STAPHYLINUS EMARGINATUS.

Rufo-fuſcus, depresſus, elytris pallidioribus brevisſimis, thorace elytrisque emarginatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	rufo-fuſcum, minutum, thorace multo anguſtius; *Antennæ* dimidio corpore longiores, filiformes: ultimo articulo conico, reliquis longiore.
THORAX	rufo-fuſcus, longitudine latior, depresſus, concavus, marginibus lateralibus elevatis; antice anguſtatus, truncatus, angulis obtuſis; lateribus poſticeque emarginatus, angulis acutis.
ELYTRA	depresſa, thorace pallidiora, vix thoracis longitudine, ſed paulo latiora, poſtice emarginata: angulo exteriore acuto, interiore obtuſo.
STERNUM	fuſcum.
ABDOMEN	rufo-fuſcum, longitudine dimidii corporis: dorſo marginato, depresſo, papilloſo, ventre convexo.
PEDES	rufo-fuſci.

Lo-

Locus: Rarisſime occurrit, nec niſi unicum in boleto inveni; e Gallia mihi a Dom. D'Antic misſus.

Observ. *Varietatem vidi huic ſimillimam, ſed thorace utrinque latere puncto impreſſo, forſan erat varietas ſexus.*

N:o XLI.

STAPHYLINUS LUNULATUS.

Rufo-testaceus, capite, elytris medio abdomineque cingulo nigro.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, thorace vix angustius; *Antennæ* extrorsum crassiores, capite thoraceque longiores, fuscescentes, basi apiceque rufo-flavæ.
THORAX	immarginatus, convexus, rotundatus, rufo-flavus.
ELYTRA	thoracis longitudine, sed paulo latiora, nigro-fusca, antice late, posticeque summo margine rufo-flavo.
STERNUM	rufo-flavum.
ABDOMEN	reliquo corpore longius, rufo-testaceum, versus apicem, non tamen ano cingulo nigro: dorso depresso, marginato.
PEDES	rufo-testacei.

LOCUS: Hab. in boletis putridis, præsertim autumno frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 222. N:o 2. Oxyporus lunulatus.*

LINN. *Syst. Nat. 2. p. 689. N:o 7. Faun. Svec. N:o 845. St. lunulatus.*

N:o XLII.

N:o XLII.

STAPHYLINUS MELANOCEPHALUS.

Teſtaceus, capite atro, thorace rotundato.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, nitidum, thorace paulo anguſtius; *Antennæ* teſtaceæ, extrorſum craſſiores, capite thoraceque longiores.
THORAX	teſtaceus, rotundatus, parum convexus.
ELYTRA	teſtacea, thorace paulo longiora & latiora.
ALÆ	albæ.
STERNUM	rufo-teſtaceum.
ABDOMEN	teſtaceum, longitudine vix dimidii corporis, verſus apicem, non tamen in ipſo apice fuſceſcens: dorſo depreſſo, marginato.
PEDES	teſtacei.

LOCUS: Hab. in boletis Uplandiæ rarius.

OBSERV. *Statura & facies præcedentis, ſed minor & elytra immaculata.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 222. N:o 37. St. melanocephalus.*

 N:o XLIII.

N:o XLIII.

STAPHYLINUS Socialis.

Niger, elytris depresſis, pedibus fuſco-rufeſcentibus.

DESCRIPTIO.

Caput	nigrum, nitidum, thorace anguſtius; *Antennæ* fuſcæ, extrorſum crasſiores, capite thoraceque longiores.
Thorax	niger, nitidus, immarginatus; poſtice rotundatus, longitudine fere latior.
Sternum	nigrum.
Elytra	ſubquadrata, læviſſima, vix thorace longiora, diſco fuſco-rufeſcentia, margine obſolete nigro.
Alæ	amplæ, albo-hyalinæ.
Abdomen	nigrum, depresſum, dorſo marginatum, dimidio corpore longius.
Pedes	rufo-fuſceſcentes, rarius pallidi.

Observ. *Magnitudo St. Melanocephali.*

Var, β.

Niger, elytris depresſis fuſcis, vix rufeſcentibus, pedibus pallidioribus.

Similis omnino præcedenti, ſed ſæpius dimidio minor, forſan mas.

Lo-

Locus: In ſucco betulæ, tempore hyemis excifæ, ad Hesſelby magnam ejus copiam reperi, menſe Majo.

Observ. *Difficillima eſt minimorum Staphylinorum dignoſcendi & deſcribendi ratio, & forſan ideo plane ab auctoribus omisſi ſunt. Staphylinus ſocialis ſtatura aliquo modo eſt St. fuſcipidis, & elytra ejus rufeſcentia in var. α aliam ſimilitudinem præbent, ſed ſexies minor eſt etiam illa varietas α, nec thorax gibbus, nec alæ apice fuſceſcentes. Differt varietas β a St. bicolori, quod ex altera familia & ſæpius ſexies minor ſit.*

N:o XLIV.

STAPHYLINUS Boleti.

Linearis rufo-fuscus, antennis pedibusque rufo-pallidis.

DESCRIPTIO.

CAPUT thorace latius, rufo-fuscum; *Antennæ* rufo-flavæ, extrorsum crassiores, longitudine capitis thoracisque; *Oculi* parvi, prominentes, nigri.

THORAX subrotundatus, convexus, rufo-fuscus.

STERNUM rufo-fuscum.

ELYTRA rufo-fusca, subconvexa, longitudine & latitudine thoracis.

ABDOMEN latitudine elytrorum rufo-fuscum, apice magis nigrescente, reliquo corpore longius: dorso depresso, marginato.

PEDES pallide rufi.

LOCUS: Habitat in boletis.

OBSERV. *Magnitudo: longitudine fere var. α præcedentis, sed multo angustior. Unicum vidi elytris reliquo corpore paulo pallidioribus, ut* LINNÆUS *banc speciem describit, sed character ille minime constans, ut etiam ill.* DE GEER *ante me observavit. Differt a St. Sociali, elytrorum convexitate, oculis magis prominentibus, & quod magis elongatus sit.*

SYNON. LINN. *Syst. Nat. 2. p. 686. N:o 26. Faun. Svec. N:o 859. St. Boleti.*
DE GEER *Hist. des Ins. 4. p. 26. N:o 13.*

N:o XLV.

N:o XLV.

STAPHYLINUS Brunneus.

Rufo-brunneus, capite, elytris poſtice abdomineque apice nigris.

DESCRIPTIO.

Caput	nigrum, thorace anguſtius; *Oculi* prominuli; *Antennæ* rufo-brunneæ, extrorſum crasſiores, capitis thoracisque longitudine.
Thorax	rufo-brunneus, longitudine latior, ſubtilisſime punctatus, ſubmarginatus; antice rotundatus, poſtice fere truncatus.
Elytra	longitudine fere capitis thoracisque, ſubtilisſime ſtriato-punctata; apice rotundata, antice ultra dimidiam partem rufo-brunnea, poſtice nigra.
Scutellum	nullum.
Sternum	brunneum.
Abdomen	longitudine capitis thoracisque, baſi rufo-brunneum, apice nigrum.
Pedes	rufi.

Locus: Hab. in Uplandia rarior.

Observ. Magnitudine & ſtatura eſt St. Caraboidis, ſed differt colore, capite minori, & antennis brevioribus.

Var.

VAR. β.

Rufo-brunneus, capite, abdominis apice, elytris postice margineque interiore late nigris.

Statura & fabrica omnino praecedentis, at duplo fere minor, forsan mas.

Locus: Hab. cum praecedenti rarius.

N:o XLVI.

N:o XLVI.

STAPHYLINUS RIVULARIS.

Niger, elytris longioribus abdomineque depresſis, thorace quadriſulcato: antice rotundato, pedibus rufo-brunneis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, thorace anguſtius, depresſum; *Oculi* prominuli; *Antennæ* extrorſum crasſiores, vix capitis thoracisque longitudine, baſi rufæ, apice nigræ.
THORAX	niger, longitudine latior, quadriſulcatus: ſulcis exterioribus marginalibus; antice rotundatus; poſtice truncatus; intra ſulcos medios interdum antice ſulculi minores.
STERNUM	nigrum.
ELYTRA	depresſa, obſcure picea, ſubtilisſime punctata, capite thoraceque fere longiora.
ALÆ	albæ, hyalinæ, absque ullo puncto marginali.
ABDOMEN	obtuſum, depresſum, nigrum, vix capitis thoracisque longitudine.
PEDES	rufo-brunnei.

Lo-

Locus: In ſucco betulæ exciſæ, menſe Majo ad Hesſelby rarius reperi.

Observ. *Differt a St. Piceo cui affinis, quod ex altera familia, quod brevior, ſed non anguſtior, quod magis depresſus, quod abdomen multo brevius, & Thorax antice, non vero poſtice rotundatus ſit.*

N:o XLVII.

N:o XLVII.

STAPHYLINUS FLORALIS.

Niger, depresſus, thorace lævi, pedibus piceis, alis albo-hyalinis: coſta ultra medium fuſceſcente.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, thorace anguſtius; *Antennæ* fuſceſcentes, extrorſum crasſiores, capitis thoracisque longitudine.
THORAX	niger, lævis, ſubmarginatus, longitudine latior; antice rotundatus, poſtice truncatus.
ELYTRA	nigra, depresſa, capitis thoracisque longitudine.
STERNUM	nigrum.
ALÆ	amplæ, corpore fere duplo longiores, albo-hyalinæ: coſta ad medietatem fuſceſcente.
ABDOMEN	depresſum, obtuſum, vix capite thoraceque longius.
PEDES	picei, interdum rufeſcentes.

LOCUS: Habitat in floribus, præſertim padi ſat frequens tempore vernali.

OBSERV. Magnitudine & ſtatura omnino præcedentis, ſed differt thorace glabro.

N:o XLVIII.

STAPHYLINUS Tectus.

Niger, latisſimus, elytris abdomen fere obtegentibus, teſtaceo-fuſceſcentibus, pedibus pallidioribus.

DESCRIPTIO.

Caput	nigrum, thorace anguſtius; *Oculi* prominuli, *Antennæ* nigræ, baſi pallidiores, extrorſum crasſiores, capite thoraceque longiores.
Thorax	niger, ſummo margine teſtaceo-fuſceſcente, parum convexus, ſubmarginatus, longitudine latior; antice poſticeque truncatus: angulis obtuſis.
Sternum	nigrum.
Elytra	teſtaceo-fuſceſcentia, longisſima, capite thoraceque longiora, abdomen fere obtegentia.
Alæ	amplæ, albo-hyalinæ.
Abdomen	nigrum, obtuſum: lateribus depresſis, elytris vix longius, unde ſingularis facies.
Pedes	pallide teſtacei, fuſceſcentes.

Observ. *Magnitudo: latitudine eſt St. Elongati, ſed quadruplo brevior.*

Var.

VAR. β.

Niger, elytris pedibusque fuſcis.

Locus: In ſucco betulæ excifæ habitantem reperi ad Hesſelby initio menſis Maji.

OBSERV. *Paulo major, at ſtatura & habitus omnino idem. Latitudine, & abdomine breviſſimo ab omnibus reliquis diſtingvitur.*

N:O XLIX.

STAPHYLINUS DEPRESSUS.

Niger depresſus, capite thoraceque marginato, pedibus rufis, antennis baſi binodibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, thorace anguſtius, marginatum; *Oculi* parum prominuli; *Antennæ* longitudine capitis thoracisque: primis duobus articulis ultimoque reliquis craſſioribus, globoſis.

THORAX niger, longitudine latior, acute marginatus, ſubtilisſime punctatus, antice poſticeque truncatus: ſulculo unico, minime profundo longitudinali.

STERNUM nigrum.

ELYTRA depreſſa, nigra, capitis thoracisque longitudine, ſubtilisſime punctata.

ALÆ amplæ, albæ: coſta baſi fuſceſcente.

ABDOMEN nigrum, marginatum, capitis thoracisque longitudine, latitudine elytrorum.

PEDES rufi, interdum rufo-fuſceſcentes.

LOCUS: In ſucco betulæ exciſæ, initio menſis Maji ad Hesſelby habitantem reperi.

OBSERV. Magnitudo: paulo præcedenti minor. Corpore depreſſo a St. Quentzeli, antennis baſi binodibus a reliquis optime dignoſcitur.

N:o L.

STAPHYLINUS PORCATUS.

Niger, thorace abdomineque porcato, elytris quadrisulcatis, pedibus piceis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	thorace angustius, nigrum.
THORAX	niger, acute marginatus, in medio gibbus, porcatus; antice paulo angustatus, postice acute angulatus.
STERNUM	nigrum.
ELYTRA	nigra, longitudine capitis thoracisque, quadrisulcata.
ALÆ	albæ: macula minuta marginali fusca.
ABDOMEN	nigrum, capitis thoracisque longitudine, marginatum, dorso porcatum.
PEDES	breviores, picei.

LOCUS: Habitat in Scania QUENTZEL; prope Upsaliam PRINTZ rarissime hunc deprehendit.

OBSERV. Statura & magnitudo omnino præcedentis; inveniuntur etiam duplo minores, forsan mares.

N:o LI.

STAPHYLINUS QUENTZELI.

Niger nitidus, antennis extrorsum crassioribus: basi binodibus; thorace gibbo elytrisque punctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigro-fuscum, nitidum, thorace paulo angustius, punctatum; *Antennæ* basi binodes: articulis tribus ultimis crassioribus.
THORAX	nigro-fuscus, nitidus, longitudine latior, punctatus, gibbus, marginatus.
STERNUM	nigrum,
ELYTRA	nigro-fuscescentia, nitida, vix thorace longiora.
ABDOMEN	nigrum, nitidum, longitudine dimidii corporis.
PEDES	nigri.

Locus: E Scania mihi misit Dom. QUENTZEL indefessus & oculatissimus insectorum observator.

OBSERV. *Longitudo St. porcati, sed angustior. Antennis basi binodibus a reliquis St. nigris distingvitur; a St. depresso, quod angustior, quod thorax gibbus, & quod tres ultimi antennarum articuli incrassati sint.*

N:o LII.

N:o LII.

STAPHYLINUS SUBTERRANEUS.

Niger glaber, nitidus, elytris longioribus extrorſum rufo-flavis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, thorace duplo anguſtius; *Antennæ* filiformes, apice fuſceſcentes, longitudine fere dimidii corporis.
THORAX	niger, convexus, ſubmarginatus, longitudine latior, antice poſticeque truncatus, capite elytrisque arcte junctus.
STERNUM	nigrum.
ELYTRA	capite thoraceque longiora, latitudine thoracis, antice poſticeque truncata, acute angulata, nigra: macula magna rufo-flava in angulo anteriore exteriore.
ALÆ	corpore longiores, fuſco-hyalinæ, macula marginali nigra.
ABDOMEN	nigrum, poſtice attenuatum, pilis longioribus, longitudine capitis thoracisque: annulo penultimo reliquis duplo longiore.
PEDES:	*Femora* & *Tibiæ* nigra; *Tarſi* fuſceſcentes.

Locus: Ab. Ill. a Linné in cellis ſubterraneis ſæpius habitare fertur, at mihi nunquam obvius fuit, niſi in ſucco betulæ exciſæ, in medio menſis Maji.

Observ. *Magnitudo & ſtatura omnino ſequentis.*

Synon. Linn. *Syſt. Nat. 2. p. 684. N:o 12. Faun. Svec. N:o 849.*

N:o LIII.

N:o LIII.

STAPHYLINUS Rufipes.

Niger glaber, elytris longioribus, pedibus rufis, penultimo ſegmento abdominis reliquis duplo longiore.

DESCRIPTIO.

Caput	nigrum, glabrum, thorace duplo anguſtius; *Antennæ* vix extrorſum craſſiores, fuſceſcentes, baſi rufeſcentes, longitudine dimidii corporis.
Thorax	niger, glaber, convexus, ſubmarginatus, longitudine latior, antice poſticeque truncatus, capite elytrisque arcte junctus.
Sternum	nigrum.
Elytra	ampla, capite thoraceque longiora, latitudine thoracis, antice poſticeque truncata.
Alæ	albo-hyalinæ, corpore fere duplo longiores: macula marginali fuſca.
Abdomen	nigrum, poſtice attenuatum, piloſum, thorace vix longius: annulo penultimo reliquis duplo longiore.
Pedes	rufi teſtacei.

Locus: Hab. in ſtercore frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 222. N:o 31. St. Rufipes.*
LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 685. N:o 24. Faun. Sv. N:o 825. St. Rufipes.*
DE GEER *Hiſt. des Inſ. t. 4. p. 24. N:o 11.*

VAR. β.

Niger, ſummo margine poſtico elytrorum pedibusque rufis.

LOCUS: Hab. cum præcedente.

OBSERV. *Statura & ſumma ſimilitudo præcedentis, quo duplo minor eſt, at vix diſtingui meretur. Quis hic esſet diu hæſi, donec* FABRICIUS *litteris ſuis dubia mea exemerit. Minus accurate igitur hic ſummus auctor illi ſtaturam St. marginati in Syſt. Ent. p. 266 tribuit; ill. vero a* LINNÉ *eum ſimilem esſe St. ſubterraneo, ſed minorem; in Faun. Sv. appoſite affert.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 221. N.o 16. St. Flaveſcens.*
LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 684. N:o 13. Faun. Sv. N:o 850. St. Flaveſcens.*

VAR. γ.

Niger, thoracis lateribus elytrisque pallidioribus, pedibus rufis.

LOCUS: Habitat cum præcedentibus.

OBSERV. *Statura & habitus omnino præcedentium & magnitudo varietatis α.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 221. N:o 23. St. Hypnorum an? ſed minime ſtatura St. fuſcipedis, ut in Syſt. Ent. p. 266, forſan perperam pro rufipedis, impresſum eſt.*

N:O LIV.

N:o LIV.

STAPHYLINUS DISPAR.

Niger, thorace, elytris pedibusque rufo-flavis; elytris longioribus, penultimo ſegmento abdominis reliquis vix longiore.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum, nitidum, convexum, thorace duplo anguſtius; *Antennæ* filiformes, rufo-flavæ, apice fuſceſcentes, longitudine dimidii corporis.
THORAX	convexus, ſupra infraque rufo-flavus, immarginatus, longitudine latior, antice poſticeque truncatus, capite arcte junctus.
ELYTRA	flava, ſummo margine anteriore & exteriore baſi nigra, thorace paulo latiora, capitis thoracisque longitudine.
STERNUM	nigrum.
ALÆ	albæ, hyalinæ, corpore longiores: macula marginali pallida.
ABDOMEN	nigrum, interdum paulo rufeſcens, apice attenuatum, piloſum.
PEDES	rufo-flavi.

Locus: Hab. in fimetis & fub foliis putridis frequens.

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 221. N:o 28. St. Chryfomelinus.*

Linn. *Syft. Nat. 2. p. 685. N:o 21. Faun. Sv. N:o 855. St. Chryfomelinus.*

Var. β.

Niger, thoracis marginibus flavefcentibus, elytris rufo-flavis: margine exteriore nigro.

Locus: Hab. cum præcedenti rarius.

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 221. N:o 24. St. Nitidulus.*

Var. γ.

Rufo-flavus, oculis, fterno, ano elytrisque antice nigris.

Locus: Habitat in fimetis frequens.

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 221. N:o 17. St. Obtufus.*

Linn. *Syft. Nat. 2. p. 684. N:o 9. St. Obtufus.*

Var. δ.

Niger, thorace toto elytrisque poftice rufefcentibus.

Locus: Habitat cum præcedentibus.

Var. ε.

Totus rufo-flavus, capite nigro.

Locus: Habitat cum præcedentibus minus frequens.

VAR. ζ.

Niger, thoracis lateribus pedibusque flavo-lividis, elytris flavo-lividis: margine exteriore maculaque magna longitudinali nigra.

LOCUS: Habitat in ſtercore rarius.

OBSERV. *Magnitudine, fabrica & ſtatura, omnium harum varietatum ita ſumma eſt ſimilitudo, ut contra plurium auctorum ſententiam omnes in unam ſpeciem conjungere auſus ſim; & fateor me, ſi diſtingvi debent, nullos characteres diſtinctos, coloribus exceptis, ſtatuere poſſe. Omnes vero entomologi attenti facile obſervare posſunt colores hac in ſpecie ita miſceri & variare, ut vix duo individua exacte ſimilia reperiantur. Vidi etiam ipſe Varietatem α & γ copulis junctam. Statura & fabrica eſt St. Ruſipedis, ſed differt magnitudine quadruplo minore, & penultimo ſegmento abdominis reliquis non duplo longiore.*

SYNON. LINN. *Syſt. Nat. 2. p. 684. St. Silphoides.*

N:o LV.

N:o LV.

STAPHYLINUS LITTOREUS.

Niger, antennis, thoracis lateribus, elytris disco pedibusque testaceis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum, thorace angustius; *Antennæ* testaceæ, extrorsum crassiores, capite thoraceque longiores.

THORAX niger, lateribus late testaceis, convexus, immarginatus.

STERNUM nigrum, nitidum.

ELYTRA thorace paulo latiora, capitis thoracisque longitudine, nigra: disco testaceo; seu testacea: margine exteriore & angulo exteriore posteriore nigro.

ABDOMEN nigro-fuscum, apice attenuatum, pilosum.

PEDES longiores, testacei.

LOCUS: Habitat in arena humida riparia, sub qua cuniculos facit, præsertim in Gottlandia A LINNÉ. Nunquam ipse illum vivum vidi.

OBSERV. *Magnitudo, fabrica & statura omnino præcedentis, ut nisi oeconomia ejus, te-*

testante ill. A LINNÉ *omnino differret, vix ratio adesset cur ab eo distingueretur.*

SYNON. LINN. *Syst. Nat.* 2. *p.* 685. *N:o* 18. *Faun. Sv. N:o* 852. *St. Littoreus.*



EMENDANDA.

Pag. 23. l. 23. An *leg.* Quis

Pag. 26. l. 3. coeruleis, femoribusque *leg.* coeruleis, thorace femoribusque

Pag. 27. l. 27. SCHÆFF. Icon. T. 71. fig. 3 *deleatur.*

Pag. 39. l. 26. plures. Entomologi *leg.* plures entomologi


Pag. 50. l. 26. Inf. p. . t. *leg.* Icon. Tab. 71. f. 3.


Cetera leviora b. L. ipſe corrigat.

MONOGRAPHIA
CARABORUM
SVECIÆ

A

GUSTAVO DE PAYKULL.





UPSALIÆ,
LITTERIS DIRECT. JOHANN. EDMAN, MDCCXC.

LECTORI.

Si in speciebus Generis Staphylini determinandis perobscuras auctorum descriptiones querendi mihi ratio fuerit, potiori jure eandem obtinere autumaverim in Carabortum genere considerando, quod jam Entomologorum defero examini. E re certe fuisset, ut numerosæ in illo occurrentes species & varietates præ multis aliis Insectorum familiiis, sub accuratiorem quæstionem curiose revocarentur. Quippe cum Characteres specifici ex coloribus solis, iisdemque interdum haud probe observatis sæpe petuntur, non mirum est, si ita tricis involuta sit cognitio earum, ut ex illis nulla certa synonymia expediri potuerit. Jam in eandem descriptionem plures quadrant species, jam in unam collatæ, jam denique in plures disjunctæ exstant. Frequenter hæc occurrit in Carabis confusio, nec unquam

evitabilis eſt, niſi Entomologi, una cum colorum differentiis, esſentiales Inſectorum partes, huc uſque ſolito ſollicitius reſpiciant.

In amplioribus generibus ad certam quandam ſpeciem expeditius inveniendam egregie conferunt idoneæ ſubdiviſiones: nec tales ſubminiſtrandas omiſerunt auctores, ſed tamen interdum, quod fatendum eſt, minus rei accommodatas; quarum argumenta ut exhibeamus, ultra Carabi genus progredi haud nobis opus eſt.

In MAJORES & MINORES illud diſpeſcuerunt Ill. a LINNÉ atque FABRICIUS. Salva tantorum nominum reverentia dixerim hoc factum nimis properato conſilio esſe imputandum, præſertim cum menſuram plurium variantium ſpecierum determinare non detur. Sic e. g. Carabus triliniatus, qui

ma-

majoribus a FABRICIO accensetur, Carabo ruficorni, aliisque multo minor sæpenumero reperitur, quos supra laudatus Auctor inter minores recenset.

Omnis proinde subdivisio, quæ a quarundam corporis partium dissimilitudine essentiali, vel earundem defectu non desumitur incompleta evadit; cui conclusioni innixus adstruxi meas dispartiendi methodos.

Caraborum quidam alis instruuntur, quidam iisdem carent. Nemo mihi objiciat species hac in parte variare, adeo ut exempli gratia alter sexus alatus conspiceretur, alter vero apterus. Ea inter multa individua, quæ considerandi non solum mihi ansa fuit, sed etiam anatomice inquirendi, nunquam alterum sexum alis præditum, alterum ipsis destitutum inveni. E contrario in hoc genere sexus sibi invicem ma-

gis similes notavi, quam in plerisque aliis: cumque talis discrepantia nec ullibi ab Entomologis observata sit, hoc in momento nulla dubitatio diutius obtinere debet, quin hæc divisio genuina sit. Si Carabus quidam e. g. Leucophthalmus ab Entomologis jam alatus jam apterus sit descriptus, hic eorum dissensus exinde est derivandus, (quod spero me evidenter probaturum,) quod plures species in unam sint commixtæ, quas inter quædam apteræ, quædam alatæ fuerunt.

Propterea, Ill. De Geerii secutus sententiam, non dubitavi Carabos in duas Familias primarias partiri, scilicet in Apteros & Alatos. Eorum vero tantus est numerus, ut utraque familia ulteriori indigeat partitione. Apterorum quidam thoracem habent postice emarginatum, quidam transverse truncatum: sic eos divisi in

Apte-

Apteros *thorace postice emarginato*, & Apteros, *thorace truncato*. Inter alatos autem alii habent thoracem obcordatum antice latissimum, alii eundem minus magisque rotundatum, in medio latissimum; alii thorace elongato sunt notabiles, atque alii denique subquadrato, sive a basi ad apicem fere undique aequali, & elytrorum latitudine. Secundam igitur Familiam, prima triplo majorem, in quatuor subdivisiones distribui, nimirum in Alatos *thorace obcordato; thorace semirotundato; thorace elongato;* & *thorace subquadrato.*

Posset itidem in Carabi Ovati gratiam adhuc una adponi dispartitio, videlicet Alati *thorace postice latiori;* alias vero huiusmodi species ignorans, donec plures similes detegantur, ad quartam Sectionem hunc Carabum retuli.

Dab. in Praedio Hesselby, prope Upsaliam die 4 Julii 1790.

CARABUS.

Antennæ filiformes.

Palpi sex inæquales: articulo ultimo obtuso truncato.

Labium integrum.

Tarsi quinquearticulati.



FAMILIA PRIMA:

APTERI.

SECTIO PRIMA;

Thorace postice emarginato.

N:o I.

CARABUS Coriaceus.

Niger elytris opacis: punctis intricatis subrugosis.

DESCRIPTIO.

Caput nigrum, erosum; *Maxillæ* longiores, denticulatæ; *Antennæ* apice fuscescentes.

Thorax niger, opacus, lineola longitudinali punctisque lævioribus, obcordatus, antice truncatus, postice emarginatus.

ELYTRA nigra, opaca, convexa, thorace multo latiora: punctis intricatis ſubrugoſis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, convexum, nitidum.

PEDES longiores, nigri, nitidi; *Femora* anteriora ſubclavata; *Tibiæ* omnes apice biſpinoſæ.

Locus: hab. in putridis & ſub lapidibus Scaniæ rarius.

Observ. *Magnitudine omnes Sveciæ Carabos ſuperat.*

Synon. FABRICII MANT. *Inſ. t. 1. p. 195. N:o 3. Car. Coriaceus.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 668. N:o 1. Car. Coriaceus.*

DE GEER *Inſ. t. 4. p. 90. N:o 4. Car. Coriaceus.*

SCHÆFF. *Icon. Inſ. t. XXXVI, f. I. mas. t. CXLI f. 1. fem.*

N:o 11.

CARABUS CYANEUS.

Niger, capite thoraceque violaceis, elytris violaceis: punctis intricatis ſubrugoſis.

Descriptio:

CAPUT eroſum, poſtice violaceum, antice

tice nigrum: *Maxillæ Palpique* nigri; *Oculi* albicantes; *Antennæ* fuscescentes.

THORAX violaceus, nitidus, subtus magis niger, obcordatus, marginatus, planus, canaliculatus, subrugosus, longitudine latitudinis.

ELYTRA postice latiora, violacea, nitida: punctis elevatis, elongatis, intricatis, plurimis rugosis nigris.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES longiores, nigri, nitidi.

LOCUS: Hab. in Svecia australi rarissime, in Germania magis frequens.

OBSERV. *Differt a Carabo Coriaceo, colore, magnitudine & thorace magis plano, canaliculato; a Carabo Purpurascente & Violaceo differt thorace longiore & elytris rugosis, totis, non vero solo margine, violaceis.*

SYNON. FABR. *Mant. Ins. p. 195. N:o 7. Car. Cyaneus.*
LINN. *Faun. Sv. N:o 780. Car. Intricatus.*

N:o III.

CARABUS VIOLACEUS.

Niger, thoracis elytrorumque marginibus violaceis, elytris subpunctatis lævibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Antennæ* basi nigræ, apice fuscescentes.

THORAX niger, margine violaceo, nitido, obcordatus, longitudine latior, subtilissime punctatus, marginatus, lineola longitudinali, antice truncatus, postice emarginatus.

ELYTRA convexa, nigra, subtilissime, confertissime sine ordine punctata, (minime striata;) margine violaceo purpurascente nitido; subtus griseo-flavescentia punctis confertissimis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES longiores, nigri.

Locus: hab. in putridis & sub lapidibus.

OBSERV. *Minime alatus, ut Ill.* A LINNÉ, *& post illum Cel. Dom.* FABRICIUS *haud conve-*

venienter descripserunt. Synonymon De Geerianum, *a* Fabricio *ad hanc speciem relatum minime ad illum sed ad Car. Hortensem pertinet. Unicum individuum, e Gallia mihi missum elytris regulariter, non vero ut in sequenti rugose, punctato - striatis notatur, cetero huic simillimum est, an varietas? an Species distincta, vel hybrida e copula forte Car. Violacei & Purpurascentis orta.*

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 195. N:o 5. Car. Violaceus.*

Linn. *Syst. Nat. II. p. 669. N:o 8. Faun. Sv. N:o 787. Car. Violaceus.*

Schæff. *Icon. t. III. f. 1.*

N:o IV.

Carabus Purpurascens.

Niger thoracis elytrorumque marginibus violaceis, elytris rugose punctato-striatis.

Descriptio.

Caput nigrum; *Antennæ* apice fuscescentes.

Thorax niger, margine acute elevato, violaceo, obcordatus, subpunctatus, longitudine latior, lineola longi-

gitudinali; dorso convexo postice retuso.

Elytra nigra, convexa, sedecimstriata, rugose punctata, margine violaceo purpurascente.

Sternum nigrum, nitidum.

Abdomen nigrum, nitidum.

Pedes nigri, nitidi.

Locus: Habitat cum præcedenti frequentior.

Observ. *Magnitudine & habitu præcedentis, sed differt elytris rugose punctato-striatis, thoraceque postice angustiore. Fœmina mari simillima, ideoque haud varietas sexus Car. Violacei.*

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 195. N:o 6. Car. Purpurascens.*

Schæff. *Icon. Inf. LXXXVIII. f. 1.*

N:o V.

CARABUS GLABRATUS.

Niger lævis, thorace latiore, elytris subtilissime punctatis.

Descriptio.

Caput nigrum; *Oculi Antennæque* apice fuscescentes.

Tho-

THORAX niger, obcordatus, elytris vix angustior, convexus, marginatus, subtilissime punctatus; angulis posterioribus obtusis, minus quam in Carabo Purpurascente, prominentibus.

ELYTRA nigra, immaculata, convexa, lævissima, subtilissime, confertissime punctata, margine concolore.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. Carabi Violacei, vel paulo major.

Locus: Habitat in Finlandiæ & Dalecarliæ locis montosis.

OBSERV. Differt a Car. Violaceo, thorace latiore, margine thoracis elytrorumque unicolore.

N:o VI.
CARABUS GEMMATUS.

Niger elytris striatis: punctis æneis bilobis excavatis triplice serie, margine subviolaceo.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, subrugosum; *Antennæ* apice fuscescentes.

THO-

THORAX niger, margine subvirescente, obcordatus, parum convexus, lineola longitudinali, subtilissime punctatus, marginatus: angulis posticis obtusis, prominentibus.

ELYTRA nigra, convexa, striata, punctis æneis bilobis, triplice serie excavatis, margine subviolaceo.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. & Statura Carabi Violacei.

Locus: Habitat in putridis minus frequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 196. N:o 15. Car. Gemmatus.*

DE GEER. *Inf. t. 4. p. 90. N:o 5. Car. Striatus. t. 3. f. 1.*

N:O VII.

CARABUS HORTENSIS.

Niger, thorace latiore, elytris subrugosis, margine punctisque triplice serie excavatis æneis,

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *Oculi* pupillati; *Antennæ* apice fuscescentes.

THO-

THORAX niger, convexus, lineola longitudinali, obcordatus, latitudine fere baſeos elytrorum, margine parum prominulo æneo-purpurascente.

ELYTRA nigra, convexa margine ſubæneo, minime ſtriata: rugis vix nudis oculis conſpicuis, punctis æneis triplici ſerie excavatis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. Latitudine Carabi Violacei ſed brevior, & ſtatura Carabi Glabrati.

Locus: Habitat in putridis & ſub lapidibus.

OBSERV. *Differt a Carabo Gemmato, cui affinis, latitudine thoracis, & elytris haud ſtriatis.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 196. N:o 16. Car. Hortenſis.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 668. N:o 3. Faun. Sv. N:o 783. Car. Hortenſis.*
DE GEER *Inſ. t. 4. p. 89. N. 3. Car. Violaceus.*
SCHÆFF. *Icon. Inſ. t. XI. f. 11. ſed colore nimis purpurascente picta.*

N:o VIII.

CARABUS CLATHRATUS.

Niger, capite thoraceque subæneis, elytris æneo-virescentibus quadrisulcatis: punctis cupreis excavatis, interjectis longitudinalibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum *nucha* subænea; *Oculi* pupillati; *Antennæ* apice cinerascentes.
THORAX	subæneus, convexus, marginatus, obcordatus, lineola longitudinali; vix postice emarginatus, in angulis vero posterioribus dorso profunde retusus.
ELYTRA	æneo-subvirescentia, convexa: sulcis tribus latis longitudinalibus, in quibus puncta oblonga elevata concolora, & inter illos puncta magna excavata cuprea; In ipso margine exteriore sulculus minor punctaque minora, excavata.
STERNUM	nigrum, nitidum.
PEDES	nigri, nitidi.
MAGNIT.	Carabum Violaceum æquiparat.

Lo-

LOCUS: Habitat in putridis, & ſub lapidibus, in pratis humidis tempore vernali ſat frequens.

OBSERV. *Simillimus var. α; ſed totus fere niger.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 197. N:o 26. Carabus Clathratus.*

LINN. *Syſt. Nat. II. p. 669. N:o 5. Faun.-Sv. N:o 782. Carabus Clathratus.*

DE GEER *Inſ. f. 4. p. 87. N:o. 1. Carabus Æneopunctatus. t. 3. f. 12.*

VAR. β.

Niger elytris quadriſulcatis: punctis obſcure æneis, interjectis longitudinalibus.

LOCUS: Habitat cum præcedenti rarius.

N:o IX.

CARABUS GRANULATUS.

Niger ſupra æneus, elytris tuberculis elevatis triplice ordine ſulcisque elevatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* ænea.

THORAX ſupra æneus, ſubtus obſcure æneo-

neo-niger, obcordatus, subtilissime punctatus, lineola longitudinali.

ELYTRA aenea, thorace latiora: sulcis tribus elevatis, interjectis tuberculis elongatis triplice serie; margine exteriore dilatato, punctato.

ALARUM *rudimenta* paulo quam in reliquis hujus familiae majora, sed tamen volando minime idonea.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

Locus: Hab. in putridis.

Observ. *Magnitudine C. clathrati, saepius minor variat basi antennarum femoribusque ferrugineis.*

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 197. N:o 25. Car. Granulatus.*

Linn. *Syst. Nat. 11. p. 668. N:o 2. var. γ. Faun. Sv. N:o 781. var. γ. Car. Granulatus.*

De Geer *Inf. t. 4. p. 88. N.o 2. Car. Convexe punctatus.*

Schaeff. *Icon. t. XVIII. f. 6. t. CLVI. f. 4. male picta.*

VAR. *β.*

Niger elytris subvirescentibus: tuberculis elongatis triplici ordine sulcisque elevatis.

Lo-

Locus: Hab. cum præcedenti cui ſimillimus, an var. ſexus?

Synon. Linn. *Syſt. Nat. p. 668. N:o 2. var. β. Faun. Sv. N:o 781. var. β. Car. Granulatus.*

Var. γ.

Niger elytris tuberculis elongatis elevatis triplici ordine ſulcisque elevatis.

Locus: Hab. cum præcedentibus, quibus ſimillimus, rarior.

Synon. Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 668. N:o 2. var. α. Faun. Sv. N:o 781. var. α. Car. Granulatus.*

N:o x.

CARABUS Arvensis.

Niger ſupra æneus, elytris ſtriato-punctatis: tuberculis elevatis elongatis triplice ſerie.

Descriptio.

Caput ſupra æneum, ſubtus nigrum; *Antennæ, Palpi Maxillæque nigræ.*

Thorax ſupra æneus, ſubtus obſcure æneo-niger, obcordatus, ſubmarginatus lineola longitudinali.

Elytra ænea, punctato-ſtriata: tuberculis utrinque oblongis elevatis triplici ordine.

 Ster-

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. minor præcedenti, seu magnitudine Car. Convexi.

Locus: Hab. in Svecia australi rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 196. N:o 18. Car. Arvensis.*

VAR. β.

Niger, supra subviolaceus elytris punctato striatis: tuberculis elevatis triplici ordine.

Locus: Hab. cum var. α cui simillimus an var. sexus?

OBSERV. Differt a Carabo Granulato, quod minor & elytra punctato-striata, non vero sulci elevati. Puncta elytrorum elevata, non excavata, ut in Mantissa Insectorum Dom. Fabricii forsan perperam impressum est.

N:o XI.

N:o XI.

CARABUS AURATUS.

Elytris viridi - æneis nitidis obtuſe ſulcatis impunctatis, abdomine nigro; antennis pedibusque rufis.

DESCRIPTIO.

CAPUT viridi-æneum, ſubtus obſcurius; *Maxillæ* nigræ; *Palpi* rufi ultimo articulo brunneo; *Antennæ* rufæ apice obſcuriores.

THORAX obcordatus, viridi-æneus parum marginatus, lineola longitudinali.

ELYTRA viridi-ænea, convexa, obtuſe ſulcata, impunctata.

STERNUM nigrum, antice ſubvirescens.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufo-brunnei, interdum nigricantes.

MAGNIT. Car. Violaceum æquiparat.

Locus: Hab. in humidis & ſub lapidibus apud nos rariſſime, in Gallia frequens.

SYNON. FABR. MANT. *Inſ. p. 197. N:o 23. Car. Auratus.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 669. N:o 7. Faun. Sv. N:o 786. Car. Auratus.*
DE GEER *Inſ. t. 4. p. 104. N:o 1. Car. ſulcatus, t. 17. f. 20.*

N:o XII.

CARABUS NITENS.

Elytris viridi-æneis ſcabriuſculis: ſulcis quatuor elevatis nigris; margine, thorace capiteque aureis.

DESCRIPTIO.

CAPUT ſubtus nigro-æneum *nucha* aurea; *Maxillæ Palpique* nigri; *Oculi* pupillati; *Antennæ* nigræ extrorſum vix fuſceſcentes.

THORAX ſupra aureus, convexus, marginatus; ſemirotundatus, lineola longitudinali, ſubtus obſcure nigro-æneus.

ELYTRA convexa, viridi-ænea nitida, ſcabriuſcula, ſulcis quatuor elevatis nigris; tribus exterioribus poſtice interruptis; margo exterior elevatus, dilatatus, aureo-nitidus.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

LOCUS: Habitat ſub lapidibus rarius.

OBSERV. *Differt a Carabo Aurato magnitudine dimidio minori, colore, elytris ſcabriuſcu-*

usculis, & thorace semirotundato. Var. α ill. a LINNÉ *sulcis elevatis coeruleis, corpore viridi, pedibus antennisque ferrugineis mihi nunquam visa est.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p.* 197. *N:o* 30. *Car. Nitens.*
LINN. *Syst. Nat.* II. *p.* 669. *N:o* 6. *Faun. Sv. N:o* 785. *var. β. Car. Nitens.*
DE GEER. *Inf. t.* 4. *p.* 91. *N:o* 6. *Car. Aureus.*

N:o XIII.
CARABUS CONVEXUS.

Niger thorace semirotundato, elytris convexis subtilissime punctato-striatis, margine exteriore subviolaceo.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum; *Oculi* albicantes,
THORAX	totus niger, margine concolore, convexus, subtilissime punctatus, semirotundatus.
ELYTRA	nigra, convexa, subtilissime punctato-striata: summo margine exteriore subviolaceo nitido.
STERNUM	nigrum,
ABDOMEN	nigrum,
PEDES	nigri.

MAGNI-

MAGNIT. praecedentis, vel Car. Violaceo dimidio minor.

LOCUS: Hab. in Svecia auſtrali rarius.

OBSERV. *Differt a Car. Violaceo & Purpurascente magnitudine duplo minori thoraceque unicolore, ſemirotundato non obcordato. A Car.* GLABRATO *differt magnitudine, thorace rotundiore elytrisque punctato-ſtriatis, ſubviolaceo-marginatis.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p.* 197. *N:o* 22. *Car. Convexus.*
SCHAEFF. *Icon. Inſ. t.* 3. *f.* II.

SECTIO SECUNDA
Thorace poſtice truncato.

N:o XIV.

CARABUS ROSTRATUS.

Niger, elytris deflexis punctatis, thorace ovali anguſtiore, capite anguſtisſimo.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, elongatum, thorace dimi-

midio angustius; *Maxillæ* longiores, prominentes.

THORAX subovatus, marginatus, convexus, truncatus, subtilissime punctatus, elytrorum vix dimidia latitudine, postice dorso subretusus.

ELYTRA nigra, subtilissime punctata, deflexa, convexa, magnam partem abdominis subtus amplectentia.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. Carabum convexum æquiparat.

Locus: Habitat in quisquiliis infrequens.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 198. N:o 36. Car. Rostratus.*

LINN. *Syst. Nat. 11. p. 677. N:o 20. Faun. Sv. N:o 823. Tenebrio Rastratus.*

DE GEER *Inf. t. 4. p. 92. N:o 7. Car. Coadunatus. t. 3. f. 13.*

N:o XV.

N:o XV.

Carabus Madidus.

Supra niger, ſubtus obſcure rufus, nitidus, abdomine breviore, elytris decemſtriatis disco impunctatis, thorace utrinque unipunctato.

Descriptio.

Caput	magnum rufum *nucha* nigra; *Maxillæ* breviores, nigræ; *Antennæ* nigræ, apice fuscescentes.
Thorax	ſubtus rufus, ſupra niger nitidus, marginatus, ſemirotundatus, lineola longitudinali, antice latitudine fere elytrorum, angulis acutis, poſtice paulo anguſtior: puncto utrinque in angulo, excavato.
Elytra	connata, nigra, nitida, capite thoraceque haud longiora, maxime convexa, leviter decemſtriata, diſco impunctato.
Sternum	nigrum, nitidum.
Abdomen	breve, rufum, nitidum.
Pedes	breviores, rufi.
Magnit.	longitudine ſed non latitudine præcedentis.

Lo-

LOCUS: Habitat apud nos rarior. Dom. STRUVE; mihi vivus nunquam occurrit.

OBSERV. *Differt a sequenti, colore, elytris leviter striatis disco impunctatis, corpore magis convexo, abdomine breviore thoraceque utrinque unipunctato.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 199. N:o 54. Car. Madidus.*

N:o XVI.

CARABUS LEUCOPHTHALMUS.

Niger, elytris decemstriatis disco quadripunctatis, thorace semirotundato postice utrinque bistriato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum; *Antennæ* apice fuscescentes.

THORAX niger, nitidus, convexus, marginatus, semirotundatus, antice latitudine fere elytrorum, postice angustior, utroque angulo bistriato.

ELYTRA nigra, thorace opaciora, capite thoraceque longiora, subconvexa, decemstriata striis profundiori-

ribus; in ſtria ſecunda a ſutura utrinque puncta bina minutiſſima, excavata, vix nudis oculis conſpicua, quorum alterum fere in medio, alterum apici propius.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN dimidio corpore longius, nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. latitudine præcedentis ſed paulo longior.

Locus: Habitat in putridis, & ſub lapidibus frequens.

OBSERV. *Carabus a* DE GEER. *t.* 4. *p.* 96. *N.o* 12, *&* *a* FABRICIO *in Speciebus p.* 304. *N:o* 29, *&* *Mantiſſa Inſectorum p.* 198. *N:o* 41, *ſub nomine Leucophthalmi deſcriptus Car. Striatum vel Nigritam ſiſtere videtur, quia alatus. Mire hi omnes Carabi nigri ob negligentiam auctorum confuſi ſunt, licet certe ſpecie differant & optimas differentias ſpecificas præbeant, ut ſuis locis dicemus. Neſcio etiam qua ratione auctores octo tantum ſtrias hujus ſpeciei numerant, & ſtrias binas ultimas in margine exteriore omittant leviores quidem, nudis tamen oculis bene perſpicuas.*

SYN.

SYNON. FABR. *Syst. Ent. p.* 240. *N:o* 23. *Car. Leucophthalmus.*
LINN. *Syst. Nat. II. p.* 668. *N:o* 4. *Faun. Sv. N:* 784. *Car. Leucophthalmus.*
GEOFF. *Inf. t.* 1. *p.* 146. *N:o* 7.

N:o XVII.

CARABUS TERRICOLA.

Niger abdomine longiore, elytris subviolaceis striatis disco impunctatis, thorace obcordato utrinque postice unipunctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum. nitidum; *Palpi Antennaeque* fuscescentes.

THORAX niger, nitidus, obcordatus: lineola longitudinali punctoque utrinque postice excavato.

ELYTRA subviolacea, striata, disco impunctata, margine exteriore punctata, capite thoraceque multo longiora.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PE-

PEDES: *Femora* & *Tibiæ* nigra; *Tarsi* fuſcescentes.

MAGNIT. præcedentis.

Locus: Habitat in Svecia auſtrali rarius.

OBSERV. *Differt a Car. Leucophthalmo elytris ſubviolaceis disco impunctatis, & thorace magis cordato; a Car. Madido, colore elytrorum, thorace obcoraato & abdomine longiore. Unicum vidi elytris livido-ſubviolaceis; an nuper e nympha fuit declaratus?*

SYNON. *Herbſt. Car. Terricola.*

N:o XVIII.

CARABUS LEPIDUS.

Viridi-æneus, nitens, thorace ſemirotundato poſtice utrinque biſtriato, elytris ſtriatis utrinque disco tripunctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT viridi-æneum, ſubtus obſcurius; *Maxillæ*, *Palpi Oculique* nigri; *Antennæ* nigræ, baſi ſetis quibusdam longioribus.

THO-

THORAX viridi-æneus, convexus, femirotundatus, fubmarginatus, antice latitudine fere elytrorum, poftice paulo anguftior: in angulo utrinque profunde biftriatus, linea longitudinali leviore.

ELYTRA viridi-ænea, leviter ftriata: in ftria tertia a margine interiore puncta tria excavata minutisfima, quorum primum ad bafin, fecundum in medio, tertium ad apicem, non vero in ipfo apice, fpatio æquali diftantia.

STERNUM obfcure viridi-æneum.

ABDOMEN obfcure viridi-æneum.

PEDES: *Femora* obfcure viridi-ænea; *Tibiæ* nigræ rarius rufescentes; *Tarfi* nigri.

MAGNIT. Car. Leucophthalmo minor eft, fed habitus & ftatura eadem.

LOCUS: Habitat fub lapidibus in locis ficcis.

OBSERV. *Colorem jam magis jam minus cupreum induit. Differt a Carabo Cupreo, cui fimilis, quod ille alatus, brevior, & in disco poftico elytrorum utrinque quadripunctatus.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 200. N:o. 67. Car. Lepidus.*

N:o XIX.

CARABUS DEPRESSUS.

Niger depresſus thorace ſemirotundato punctulato, nullis punctis majoribus poſticis, elytris ſubtilisſime punctatis ſtriatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT magnum, nigrum, glabrum; *Oculi* pupillati; *Maxillæ* breviores.

THORAX niger, ſemirotundatus, in medio latitudine fere elytrorum, antice poſticeque paulo anguſtior, marginatus, vix convexus, ſubtilisſime conſertisſimeque punctatus, absque ullis punctis majoribus excavatis in angulis poſterioribus.

ELYTRA nigra, ſubdepresſa, ſubtilisſime novemſtriata: inter ſtrias omnes puncta minutisſima, conſertisſima, & intra ſtriam primam & ſecundam margine exteriore puncta quædam paulo majora.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. paulo minor præcedenti.

Lo-

LOCUS: Habitat apud nos rarissime.

OBSERV. *Ab omnibus Carabis nigris bujus familiæ optime distingvitur corpore subdepresso & thorace semirotundato sine ullis punctis majoribus excavatis in angulis posterioribus.*

N:o XX.

CARABUS MELANOCEPHALUS.

Niger, thorace flavo-rufo subqvadrato, elytris arcte juncto; pedibus flavo-rufis.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus rufum, supra nigrum, nitidum; *Antennæ Palpique* flavo-rufi, rarius fuscescentes; *Maxillæ Oculique* nigri.

THORAX lævis, rufo-flavus, subquadratus, vix rotundatus, latitudine elytrorum iisdemque arcte junctus, lineola longitudinali, punctoque utrinque postice impresso.

ELYTRA nigra, substriata; in stria secunda vel tertia a margine interiore puncta quædam minutissima, (ut in Car. Leucophthalmo & C. Le-

 pi-

pido,) margo exterior punctulatus, & basi, ubi abdomen amplectitur, rufo-flavus.

STERNUM rufum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES longiores, rufo-flavi.

MAGNIT. dimidio minor est præcedenti.

Locus: Habitat in putridis & sub lapidibus frequens.

Synon. FABR. *Mant. Inf. p. 202. N:o 89. Carabus Melanocephalus.*

LINN. *Syst. Nat. 11. p. 671. N:o 22. Faun. Sv. N:o 795. Car. Melanocephalus.*

DE GEER *Inf. t. 4. p. 93. N.o 8. Car. Melanocephalus, var. β.*

VAR. *β.*

Niger, antennis, palpis pedibusque flavo-rufis.

Locus: Hab. cum var. *α* frequens.

Observ. Statura, magnitudine & habitu omnino var. α, quamvis thorax sternumque nigra & latera elytrorum basi obscuriora.

Synon. DE GEER *Inf. t. 4. p. 93. N:o 3. Car. Melanocephalus var. α.*

N:o XXI.

N:o XXI.

CARABUS FLAVIPES.

Niger, subtus piceus, pedibus rufis, thorace subquadrato elytris arcte juncto, elytris novemstriatis: striis quatuor punctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT supra nigrum nitidum, subtus piceum; *Antennae* fuscescentes, basi rufae, dimidio corpore paulo longiores.

THORAX niger, subquadratus, vix rotundatus, elytrorum latitudine iisdemque arcte junctus.

ELYTRA nigra, convexa, novemstriata: in stria secunda, tertia, quinta & octava, puncta minutissima excavata, reliquae impunctatae.

STERNUM obscure piceum.

ABDOMEN obscure piceum.

PEDES flavo-rufi.

LOCUS: Habitat sub foliis siccis rarius.

OBSERV. *Differt a Car. Melanocephalo, cui habitu & statura similis, magnitudine duplo majori & elytris quatuor striis puncta-*

ctatis. Unicum individuum tamen vidi elytris levioribus vix punctatis at cetero huic simillimum; an distinctam constituit speciem?

SYNON. GEOFFROY *Inf. t. 1. p. 161. N:o 39. Le Bupreste noir à pattes brunes.*

N:o XXII.

CARABUS EXCAVATUS.

Supra piceo-niger, subtus rufus, thorace cordato postice profunde bipunctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT supra piceo-nigrum, subtus rufum; *Oculi* prominuli; *Antennæ Palpique* rufo-fuscescentes.

THORAX supra piceo-niger, subtus obscure rufus, glaber convexus, cordatus, marginatus, antice posticeque truncatus, lineola longitudinali punctoque magno utrinque angulo postico profunde excavato.

ELYTRA piceo-nigra, integra, thorace latiora, subtilissime punctato-striata; punctis utrinque tribus paulo majoribus, licet vix nudis oculis conspicuis in stria tertia a mar-

margine interiore, quorum alterum baſeos, alterum in medio, & tertium magis ad apicem.

STERNUM rufum.

ABDOMEN rufum.

PEDES rufi.

MAGNIT. paulo longior ſed vix latitudine Carabi Melanocephali.

Locus: Habitat apud nos minus frequens.

VAR. β.

Totus teſtaceus capite thoraceque paulo obſcurioribus.

OBSERV. *Simillimus magnitudine & ſtatura varietati præcedenti. Non niſi unicum vidi, qui nuper e nympha declaratus colorem in ſtatu adultiore forte mutaturus esſet. Species hæc optime dignoscitur thorace cordato profunde bipunctato.*

N:o XXIII.

CARABUS HUMERALIS.

Niger thorace obcordato, elytris striato-punctatis truncatis antice rufis, pedibus rufo-flavis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, latitudine thoracis, subtilissime punctatum; *Antennæ Palpique* rufi: *Oculi* prominuli, nigri.

THORAX niger, cordatus, acute marginatus, antice posticeque truncatus maxime convexus, subtilissime punctatus sine ullis punctis majoribus in angulo posteriore excavatis.

ELYTRA nigra, antice ad quartam circiter partem totius longitudinis obscure rufa, thorace latiora, subtilissime punctato-striata, apice truncata, abdominis vix longitudine, ut in Carabo truncatello.

STERNUM piceum, vel obscure-rufum.

ABDOMEN piceum, nitidum.

PEDES rufo-flavi.

MAGNIT. præcedentem vix attinet.

Lo-

Locus: Habitat in lignis putridis minus frequens.

VAR. β.

Niger thorace obcordato rufo, elytris macula baſeos rufo-flava in margine exteriore, ore, antennis pedibusque rufo-flavis.

Locus: Habitat cum var. α, cui magnitudine, habitu & ſtatura ſimillimus.

N:O XXIV.

CARABUS ROTUNDATUS.

Rufo-fuscus, ſubtus dilutior, pedibus flavis, thorace poſtice rotundato inangulato, elytris ſtriatis disco utrinque tripunctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT ſubtus rufum, *nucha* rufo-ſubænea; *Antennæ* rufæ.

THORAX rufo-fuscus, læviſſimus, convexus, marginatus, antice truncatus

tus, postice rotundatus, inangulatus, vix punctis ordinariis posticis impressis.

Elytra rufo-fusca, nitida, striata: in stria tertia a margine interiore utrinque puncta tria excavata, minutissima, vix nudis oculis conspicua.

Sternum rufum, nitidum.

Abdomen rufum, nitidum

Pedes flavi, nitidi.

Magnit. Carabum viridanum æquiparat.

Locus: Habitat apud nos minus frequens.

Observ. *Differt a præcedentibus colore, magnitudine minori, & thorace postice rotundato, minime cordato, truncato.*

Var. β.

Niger elytris piceis.

Locus: Hab. in Uplandia rarius; semel initio mensis maji plures sub cortice salicis emortuæ reperi.

Observ. *Simillimus magnitudine, habitu & statura, varietati præcedenti, nisi quod puncta discoidalia elytrorum paulo obsoletiora sint.*

FA-

FAMILIA SECUNDA

ALATI.

SECTIO PRIMA

Thorace obcordato.

N:o XXV.

CARABUS SPINIGER.

Lævis niger, ſubtus piceus, elytris obſolete novemſtriatis, pedibus poſticis baſi appendiculo ſpinoſo.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, elongatum, inter oculos biſulcatum; *Maxillæ* longiores, *Palpi* picei; *Antennæ* apice fuscescentes; *Oculi* pupillati.

THORAX niger, convexus, marginatus, impunctatus, lineola longitudinali leviori, dorſo poſtice in angulis ſubretuſo, non vero ſtriato.

ELYTRA thorace latiora, nigra, convexa, læviora: ſtriis novem fere obſoletis; in ſtria ſecunda a margine ex-

exteriore puncta paullo majora excavata, in reliquis vero minutissima nudis oculis inconspicua.

ALÆ amplissimæ, albo-hyalinæ nervis ferrugineis.

STERNUM piceum.

ABDOMEN glabrum, convexum, piceum.

PEDES picei; *Femora* postica basi appendiculo spinoso longitudine fere dimidii femoris.

MAGNIT. Longitudine Carabi Violacei sed angustior.

Locus: Habitat sub lapidibus minus frequens.

OBSERV. *Differt ab omnibus Carabis nigris bujus familiæ appendiculo spinoso in femoribus posterioribus, cum reliquæ species appendiculo truncato gaudent.*

N:o XXVI.

N:o XXVI.

CARABUS STRIATUS.

Niger thorace postice foveola utrinque biloba, elytris striis novem profundioribus: punctis tribus discoidalibus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Maxillæ Palpique* picei; *Antennæ* apice fuscescentes; *Oculi* pupillati.

THORAX niger, nitidus, marginatus, parum convexus, lineola longitudinali profundiori foveolaque biloba utrinque in angulo posteriore excavata.

ELYTRA nigra, convexa, marginata, novemstriata: punctis tribus minutissimis in stria tertia a margine interiore, quorum primum ad basin, secundum in medio, & tertium apici propius est.

ALÆ albo-hyalinæ nervis flavescentibus.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNI-

MAGNIT. præcedenti paulo minor.

Locus: Habitat in putridis & sub lapidibus frequens.

OBSERV. *Magnitudo hujus speciei non variat, licet* DE GEER *loco citato, &* FABRICIUS *in Spec. Inf. pag. 305 ita meminerint: etenim hanc speciem cum Carabo Leucophthalmo & Nigrita sine dubio confuderunt, qui tamen sane diversi: differt enim a C. Leucophthalmo magnitudine majori, alis, thorace cordato & elytris utrinque disco tripunctato; a Car. Nigrita magnitudine duplo majore & thorace cordato.*

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 198. N:o 41. Car. Leucophthalmus.*

DE GEER *Inf. t. 4. p. 96. N:o 12. Car. Nigro-striatus.*

N:o XXVII.

N:o XXVII.

CARABUS FLAVICORNIS.

Niger elytris substriatis impunctatis, margine thoracis, antennis pedibusque rufo-pallidis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, convexum, punctis duobus frontalibus ferrugineis: *Maxillæ* ferrugineæ; *Palpi Antennæque* pallidiores, pilis quibusdam longioribus; *Oculi* albicantes.

THORAX niger, convexus, summo margine rufescente elevato.

ELYTRA nigra, substriata, impunctata, in altero Sexu antice ad suturam rufescentia.

ALÆ albo-hyalinæ nervis flavescentibus.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum, ano rufescente.

PEDES pallide rufi.

MAGNIT. Carabum Leucophthalmum æquiparat.

LOCUS: Habitat in Svecia australi rarius.

OBS-

Observ. *Carabo spinigero affinis sed duplo fere minor, nec femora postica spinigera.*

Synon. Fabr. Mant. *Inf. p. 199. N:o 50. Car. Flavicornis.*

N:o XXVIII.

CARABUS Sabulosus.

Niger, thorace, limbo elytrorum pedibusque pallidis.

Descriptio.

Caput nigrum; *Maxillæ* ferrugineæ; *Antennæ Palpique* pallide flavi; *Oculi* prominuli.

Thorax pallidus, brevis, convexus, impunctatus, marginatus, subtus, cum margine summo antico & postico, niger.

Elytra anteriori parte thoracis non multo latiora, subtilissime striato-puntata, punctis quibusdam discoidalibus paulo profundioribus, subconvexa, margine exteriore & posteriore pallide flavo, in altero sexu limbo latiore.

Alæ.

Ster-

STERNUM obſcure ferrugineum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES pallide flavi; *Femora* baſi ferruginea.

MAGNIT. paulo minor præcedenti.

Locus: Habitat apud nos rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 199. N:o 47. Carabus Sabuloſus.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 670. N:o 15. Faun. Sv. N:o 791. Car. Lividus.*

N:o XXIX.

CARABUS MULTIPUNCTATUS.

Obſcure ſubæneus, elytris punctis vagis plurimis impreſſis.

DESCRIPTIO.

CAPUT obſcure ſubæneum; *Maxillæ, Antennæ Palpique* nigri; *Oculi* pupillati.

THORAX obſcure ſubæneus margine nitidiore; lineola longitudinali anguloque utrinque poſteriore dorſo excavato.

ELY-

ELYTRA obſcure æneа, convexa: punctis plurimis majoribus disco impreſſis, margine æneo nitido.

ALÆ amplæ, albo-hyalinæ, corpore longiores, ſummo margine anteriore exteriore rufescente.

STERNUM obſcure ſubæneum.

ABDOMEN obſcure ſubæneum.

PEDES: *Femora* obſcure ſubænea; *Tibiæ* & *Tarſi* magis nigricantes.

Locus: Habitat in pratis humidis ſub lapidibus, tempore vernali frequens.

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p.* 201. *N:o* 32. *Carab. Multipunctatus.*

LINN. *Syſt. Nat.* 11. *p.* 672. *N:o* 32. *Faun. Sv. N:o* 805. *Carab. Multipunctatus.*

N:o XXX.

CARABUS BOREALIS.

Niger thorace obſcure æneo, elytris obſcure æneis: punctis discoidalibus duplice ſerie impresſis; ſummo margine pedibusque rufis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obſcure ſubænea; *Oculi* minores; *Maxillæ Palpique* nigri; *Antennæ* apice fuscescentes.

THORAX obſcure ſubæneus, marginatus, lineola levisſima longitudinali punctoque profunde excavato utrinque in angulo poſteriore.

ELYTRA thorace latiora, obſcure ſubænea, ſubſtriata: punctis plurimis majoribus discoidalibus duplice ſerie, exteriori abbreviata, impresſis, margine nitidiore; ſummo margine abdomen amplectente, rufo.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufi *geniculis* nigris.

MAGNIT. vix præcedentis.

Locus: Sub lapide ad templum Karungi Botniæ occidentalis ſemel inveni menſe Julii.

OBSERV. *Habitu & ſtatura præcedentis, ſed differt colore & elytris regulariter punctatis.*

N:O XXXI.

CARABUS NIVALIS.

Niger femoribus rufis, thorace impunctato, elytris punctato-ſtriatis: punctis quibusdam discoidalibus majoribus; marginalibus nullis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum; *Oculi*, *Antennæ*, *Maxillæ Palpique* concolores.

THORAX niger, brevis, vix longitudine capitis, convexus, acute marginatus, poſtice impunctatus.

ELYTRA nigra, thorace latiora, capite thoraceque duplo longiora, ſtriata, ſubtilisſime in ſtriis punctata: pun-

ctis

ctis tribus vel quatuor paulo majoribus in ſtria tertia a margine interiore, margine exteriore impunctato.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES: *Femora* rufa; *Tibiæ Tarſique* nigri.

MAGNIT. Car. Sabuloſo fere duplo minor.

Locus: Habitat in ſummis alpibus Lapponiæ Lulenſis, in ipſa nive curſitans.

N:O XXXII.

CARABUS ASSIMILIS.

Niger, thorace capite longiore poſtice impunctato, elytris ſtriatis, margine punctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum.

THORAX niger, capite longior, antice, non vero poſtice latior, convexus, acute marginatus, angulis poſticis impunctatis.

ELYTRA nigra, capite thoraceque longiora, ſtriata, margine exteriore punctulato; punctis utrinque tribus minutisſimis in ſtria tertia a margine interiore.

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri, vel obſcure picei.

MAGNIT. præcedentis.

Locus: Hab. in Scania. Dom. QVENSEL.

OBSERV. *Habitu & ſtatura præcedenti ſimillimus, ut diu hæſerim, utrum varietas, vel ſpecies diſtincta eſſet: ſed loco natali omnino differunt, nec in illo femora nigra, & margo punctatus: Differt a Car. ſtriato, magnitudine duplo minori & thorace poſtice non punctato.*

N:o XXXIII.

N:o XXXIII.

CARABUS OBLONGO-PUNCTATUS.

Niger elytris substriatis: punctis dorsalibus & marginalibus plurimis impressis, thorace utrinque postice unipunctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum; *Palpi*, *Antennæ Maxillæque* concolores.

THORAX niger, nitidus, marginatus, convexus, lineola longitudinali punctoque utrinque excavato in angulo posteriori.

ELYTRA nigra, sæpius thorace opaciora, capite thoraceque haud multo longiora, subtilissime striata: punctis plurimis longitudinalibus minutis, nudis tamen oculis bene conspicuis, disco & margini exteriori impressis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. Carabum Multipunctatum æquiparat.

Locus: Hab. ſub lapidibus.

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 202. N:o 80. Car. Oblongo-punctatus.*

Var. *β.*

Niger, nucha thoraceque ſupra obſcure ſubæneis, elytris obſcure ſubæneis ſubſtriatis: punctis dorſalibus & marginalibus; tarſis ruſescentibus.

Locus: Hab. cum var. *α*, cui facie, magnitudine & ſtatura ſimillimus.

Observ. *Differt a Car. Multipunctato & Boreali, quod puncta elytrorum multo minora, nec thorax poſtice tam profunde punctatus; a Car. Nivali, quod elytra reſpectu magnitudinis, breviora, & margine punctata; a Car. Aſſimili: thorace poſtice punctato, & elytris punctis discoidalibus maioribus.*

N:o XXXIV.

N:o XXXIV.

CARABUS VIRIDANUS.

Niger nucha thoraceque æneis, elytris ferrugineis: macula postica communi nigro-ænea.

DESCRIPTIO.

CAPUT subtus nigrum, supra viridi-æneum, impunctatum; *Maxillæ* nigræ; *Palpi* ferruginei; *Antennæ* basi ferrugineæ, apice nigræ; *Oculi* fuscescentes.

THORAX subtus niger, rarius æneo-niger, supra viridi-æneus, submarginatus, postice magis quam in reliquis hujus sectionis, angustatus.

ELYTRA thorace latiora, striata, ferruginea: macula magna postica communi subrotunda, nigro-ænea.

ALÆ longiores, albo-hyalinæ, macula marginali subfusca.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES ferruginei.

MAGNIT. duplo minor præcedenti.

Locus: Habitat ſub lapidibus & in quisquiliis.

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 204. N:o 105. C. Viridanus. p. 204. N:o 109. Car. Praſinus.*
Schæff. *Icon. t. XXXI. f. XIII.*
Thunberg. *Nov. Spec. Inſect. 4. 74. f. 87. Car. Praſinus.*

Var. *β.*

Niger pedibus elytrisque ferrugineis: macula communi nigro-ænea.

Locus: Hab. rarius cum var. *α*, cui ſimillimus, ſed capite & thorace totis nigris.

N:o XXXV.

CARABUS Rufescens.

Rufus, antennis ſubpiloſis pedibusque pallidioribus, thorace glaberrimo, elytris punctato-ſtriatis.

Descriptio.

Caput rufum, glabrum, latitudine fere thoracis, *Antennæ* ſubpiloſæ, *Maxil-*

xillæ Palpique pallidiores; *Oculi* nigri.

THORAX rufus, glaberrimus, poſtice impunctatus, marginatus, maxime convexus, longitudine fere duplo latior, lineola longitudinali, vix nudis oculis conſpicua.

ELYTRA rufa, dimidio corpore longiora, convexa, punctato-ſtriata.

STERNUM rufum.

ABDOMEN rufum.

PEDES rufo-teſtacei.

MAGNIT. præcedentis.

LOCUS: Habitat in truncis arborum putridis rarius.

VAR. *β.*

Rufus vertice anoque nigris.

LOCUS: Hab. apud nos rarisſime.

OBSERV. Simillimus varietati α.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 204. N:o 104. Car. Rufeſcens.*

N:o XXXVI.

XXXVI.

CARABUS CYANOCEPHALUS.

Cœruleus nitidus, thorace pedibusque rufo-flavis, elytris abdomine brevioribus ſubtruncatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT cœruleum, rarius nigrum; *Antennæ* nigræ, articulis duobus primis ferrugineis.

THORAX rufo-flavus, glaberrimus, linea longitudinali excavata, marginatus, antice poſticeque truncatus, angulis poſticis impunctatis, acutisſimis.

ELYTRA cœruleo-micantia, nitidisſima, ſubtruncata, abdomine paulo brevioura, vix ſtriata, thorace latiora, ſubdepresſa.

STERNUM nigro-cœruleum, rarius ferrugineum.

ABDOMEN nigro-cœrulescens.

PEDES variant: nunc toti flavi, nunc geniculis, interdum *Tibiis Tarſisque* nigris.

MAGNIT. Car. Viridanum æquiparat.

Lo-

Locus: Habitat in putridis & intra folia arborum ſat frequens.

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 203. N:o 90. Car. Cyanocephalus.*

Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 671. N:o 21. Faun. Sv. N:o 794. C. Cyanocephalus.*

De Geer *Inſ. t. 4. p. 100. N:o 17. t. 3. f. 17. Car. Cyanocephalus.*

Schæff. *Icon. t. XI. f. 14.*

N:o XXXVII.

CARABUS Pubescens.

Flavo-ferrugineus ſubpubescens, abdomine, thorace medio elytrorumque disco poſtico nigris.

Descriptio.

Caput ferrugineum, thoracis vix latitudine; *Oculi* cinerascentes.

Thorax tenuisſime pubescens, marginatus, poſtice impunctatus, flavorufus: vitta longitudinali media, antice & poſtice latiore.

Elytra ſtriata, thorace paulo latiora, te-

STERNUM violaceum.

ABDOMEN latissimum, violaceo-nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. inter maximos Europæ Carabos.

Locus: Habitat in arboribus, ubi noctu devorat larvas lepidopterorum, apud nos rarior, in Europa australi frequens.

Observ. *Vix a Car. Scrutatore* FABRICII, *ex America septentrionali, satis differt, quamvis ille major, thorace elytrisque aureo-purpurascenti marginatis.*

Synon. FABR. *Mant. Inf. p. 197. N:o 34. Car. Sycophanta.*

LINN. *Syst. Nat. 11. p. 670. N:o 12. Faun. Sv. N:o 790. Car. Sycophanta.*

DE GEER *Inf. t. 4. p. 105. N. 2. t. 17. f. 19. Car. Sycophanta var. Americana.*

SCHÆFF. *Icon. t. LVI. f. VI.*

N:o XXXIX.

N:o XXXIX.

CARABUS INQUISITOR.

Æneo-fuscus, subtus cum margine æneo-viridis; antennis pedibusque nigris, elytris striato-subrugosis: punctis triplice ordine.

DESCRIPTIO:

CAPUT fusco-æneum; *Maxillæ Palpique* nigri; *Antennæ* basi nigræ, apice fuscescentes.

THORAX subtus æneo-virescens, dorso æneo-fusco, margine elevato nitidiore, obovatus, subtilissime punctatus, longitudine fere duplo latior, lateribus rotundatis, antice posticeque truncatus, puncto utrinque postico angulari excavato.

ELYTRA æneo-fusca, margine æneo nitidiore, thorace duplo fere latiora, capite thoraceque duplo longiora: striis sedecim longitudinalibus, rugis transversalibus confertissimis, vix nudis oculis conspicuis punctisque quibusdam majoribus triplici serie excavatis.

STERNUM viridi-æneum.

ABDOMEN viridi-æneum, latisſimum.

PEDES nigri.

MAGNIT. dimidio fere minor eſt præcedenti.

Locus: Habitat in ſylvis; in horto Carlbergiano ſemel magnam ejus copiam, ſub lapidibus & foliis putridis inveni, verſus finem menſis maji.

Observ. *Variat interdum elytris nigreſcentibus. Differt a Car. Sycophanta, magnitudine, colore, thorace poſtice punctato, & elytris transverſe ſubrugoſis.*

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p. 197. N:o 31. Carabus Inquiſitor.*

LINN. *Syſt. 11. p. 669. N:o 11. Faun. Sv. N:o 789. Car. Inquiſitor.*

DE GEER *Inſ. t. 4. p. 94. N:o IX. Car. Inquiſitor.*

N:o XL.

N:o XL.

CARABUS RETICULATUS.

Niger, thorace æruginoſo poſtice emarginato, elytris æruginoſis nigro-reticulatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* vix viriscente; *Antennæ* apice fuscescentes.

THORAX ſubtus niger, ſupra æruginoſus, obovatus, marginatus, margine nitidiore, ſubtilisſime punctatus, longitudine duplo latior, lateribus rotundatis, antice truncatus, poſtice emarginatus; (minus tamen quam in Carabis plerisque primæ familiæ ſectionis primæ).

ELYTRA æruginoſa, thorace fere duplo latiora, capite thoraceque vix duplo longiora, punctis triplice ſerie excavatis ſubtilisſime reticulata; reti elevata nigra, qui color tamen viridi mixtus, niſi bene obſervatur, vix discerni poteſt.

STERNUM nigrum, antice ſubvirescens.

ABDOMEN nigrum, latisſimum.

Pedes nigri.

Magnit. longitudine præcedentis, ſed abdomine paulo latiore.

Locus: Habitat in Svecia auſtrali rarius.

Observ. *Differt a præcedentibus colore, thorace poſtice emarginato elytrisque reticulatis; variat rarius corpore ſupra omnino nigricante.*

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 197. N:o 33. Car. Reticulatus.*

N:o XLI.

CARABUS Auro-punctatus.

Niger lævis, thorace poſtice emarginato, elytris ſubtilisſime punctato-ſtriatis, punctisque paulo majoribus triplice ſerie excavatis.

Descriptio Maris:

Caput totum nigrum; *Antennæ* apice fuſcescentes.

Thorax niger, lævis, marginatus, obovatus, longitudine fere duplo latior,

tior, lateribus rotundatis; antice truncatus, postice subemarginatus.

Elytra nigra, thorace parum latiora, subtilissime punctato-striata: punctis paulo majoribus triplice serie excavatis.

Sternum nigrum.

Abdomen nigrum.

Pedes nigri; *Tibiæ* curvatæ.

Magnit. longitudine præcedentem fere superat, sed latitudine non æquiparat.

Foemina mari simillima, sed colore supra subvirescente, punctis æneis triplice serie, abdomine paulo latiore tibiisque anterioribus brevioribus.

Locus: Habitat in Svecia australi rarius.

Observ. *Differt a Carabo Inquisitore, colore, thorace emarginato & elytris lævioribus, a Car. Reticulato, colore, corpore magis elongato & elytris haud reticulatis.*

Synon. Herbst. *Carabus Auro-punctatus.*

Fabr. *Mant. Inf. p. 197. N:o 35. Car. Indagator? affinis ei videtur, sed apterus ille, an a Cel. Auctore oculo modo fugitivo descriptus.*

N:o XLII.

CARABUS SEXPUNCTATUS.

Capite thoraceque viridi-aureis, elytris rubro-æneis: punctis utrinque sex impressis.

DESCRIPTIO.

CAPUT viridi-æneum, ſubtus obſcurius; *Oculi*, *Maxillæ*, *Antennæ Palpique* nigri.

THORAX ſupra viridi-aureus, marginatus, ſubtus nigro-cærulescens, longitudine parum latior; poſtice ſubanguſtatus, puncto utrinque in angulo.

ELYTRA rubro-ænea, nitidisſima, ſubſtriata; inter ſtriam ſecundam & tertiam puncta utrinque ſex longitudinalia excavata, margine virescente punctulato.

ALÆ albo-hyalinæ, puncto magno marginali fusco.

STERNUM fusco-æneum.

ABDOMEN fusco-æneum.

PEDES: *Femora* fusco-ænea; *Tibiæ Tarſique* nigri.

MAGNIT. Car. Marginatum æquiparat.

Lo-

Locus: Habitat in hortis frequens, in aprico curſitans.

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 202. N:o 83. Car. Sexpunctatus.*

Linn. *Syſt. Nat. 11. p. 672. N:o 35. Faun. Sv. N:o 807. Car. Sexpunctatus.*

De Geer *Inſ. t. 4. p. 99. N:o 16. Car. Sexpunctatus.*

Schæff. *Icon. Inſ. t. LXVI. f. 7.*

Var. β.

Viridi-æneus elytris concoloribus.

Locus: Habitat cum præcedenti, cui ſtatura, habitu & magnitudine omnino ſimilis.

N:o XLIII.

CARABUS Marginatus.

Viridis elytris glabris, disco utrinque tripunctato; margine exteriore, undique æquali latitudine, teſtaceo.

Descriptio.

Caput viride, nitidum; *Antennæ, Maxillæ, Oculi Palpique* nigri.

 Tho-

THORAX viridis, nitidus, longitudine vix latior, marginatus, fummo margine teftaceo, lineola longitudinali punctoque utrinque in angulo pofteriore, excavato.

ELYTRA viridia, fubdepreffa, capite thoraceque longiora, glaberrima fubtilisfime ftriata, thorace latiora, margine exteriore punctulato, teftaceo: punctis utrinque tribus discoidalibus minutis excavatis, quorum primum bafeos, in ftria tertia a margine interiore, reliqua in ftria fecunda fere in medio.

ALÆ albæ, macula magna coftali fusca.

STERNUM nigro-viride, nitidum.

ABDOMEN viride, vel nigro-cœrulescenti-nitidum.

PEDES: *Femora* nigra, rarius pallescentia; *Tibiæ* pallidæ; *Tarfi* fufcescentes.

MAGNIT. præcedentis.

Locus: Habitat in arvis & pratis fubhumidis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p.* 202. *N:o* 84. *Car. Marginatus.*

LINN. *Faun. Sv. N.o* 804. *Car. Marginatus.*

N:o XLIV.

N:o XLIV.

CARABUS VESTITUS.

Subtus niger, ſupra viridi-æneus, antennis pedibusque pallidis, elytris pubescentibus punctato-ſtriatis, punctis majoribus nullis; limbo exteriore pallido poſtice latiore.

DESCRIPTIO.

CAPUT ſubtus nigrum, ſupra viridi-æneum, nitidisſimum, glaberrimum; *Oculi* nigri; *Palpi* pallide ferruginei; *Antennæ* pallidæ, longitudine dimidii corporis.

THORAX latitudine longitudinis, ſubtus niger, ſupra viridi-æneus pube tenuisſima, linea longitudinali punctoque utrinque baſeos.

ELYTRA viridia, ſtriata, ſubtilisſime punctata, pube tenuisſima certo ſitu ferrugineo-micanti penitus tecta; punctis discoidalibus majoribus nullis, limbo exteriore pallido, apice latiore.

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum, pube tenuisſima.

Abdomen nigrum, pube tenuisfima, certo fitu ferrugineo-micanti.

Pedes pallidi.

Magnit. Car. Marginatum æquiparat.

Locus: Habitat in Scania fub lapidibus rarius. Dom. Quensel.

Synon. Linn. *Syft. Nat. 11, p. 670 N:o 16. Car. Marginatus.*

Geoffr. *Inf. 1. p. 162, N:o 41. Le Bupreftę verd à bordure.*

Pallas *Reife 1. App, N:o39. Car. Marginatus,*

Var. β.

Subtus niger, fupra violaceus, antennis pedibusque pallidis, elytris pubescentibus punctato-ftriatis; punctis discoidalibus nullis; limbo exteriore pallido poftice latiore.

Locus: Hab. cum var. α, cui colore fupra excepto, fimillimus.

Observ. Differt a Car. Marginato, cui habitu & ftatura fimilis, corpore pubescente, elytris punctis discoidalibus nullis, limbo poftice latiore teftaceo pedibusque totis pallidis. Hanc Speciem ill. a Linné *in Syftemate Naturæ loco citato defcripfit, præcedentem vero in Fauna Svecica fub eodem nomine, licet certe diverfæ fint.*

N:o XLV.

N:o XLV.

CARABUS OBSCURUS.

Niger, ſupra obſcure nigro-ſubæneus, elytris ſtriatis, disco utrinque tripunctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obſcure nigro-ſubænea.

THORAX ſubtus niger, dorſo obſcure ſubæneo, glaberrimo, marginatus, convexus, longitudine paulo latior, lineola longitudinali punctisque ordinariis poſticis excavatis; antice truncatus, angulatus, poſtice rotundatus.

ELYTRA obſcure nigro-ſubænea, latitudine haud duplo longiora, nitida, convexa, ſtriata: inter ſtriam ſecundam & tertiam puncta tria minutisſima excavata; margo etiam ipſe exterior punctatus eſt.

STERNUM nigrum, opacum; rarius obſcure ſubæneum.

ABDOMEN nigrum, opacum, rarius obſcure ſubæneum.

PE-

PEDES nigri.

MAGNIT. præcedentis.

LOCUS: Habitat ſub lapidibus in Uplandia, tempore vernali frequens.

OBSERV. *Difficillime dignoſcendus: Variat colore interdum magis nigro, interdum magis cyaneo. Differt a Car. Nigrita & Aterrimo, thorace rotundato: a C. Picipede, magnitudine, elytris profundius ſtriatis diſco punctatis; a C. Pilicorni, cui etiam affinis: antennis nudis & punctis elytrorum levioribus.*

N:o XLVI.

CARABUS PICIPES.

Niger nitidus, pedibus fuſcis, elytris ſubtilisſime ſtriatis diſco impunctatis fuſcis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, thorace paulo anguſtius.

THORAX niger, lævis, longitudine fere latitudinis, antice truncatus, angula-

latus, lineola longitudinali levissima punctisque ordinariis majoribus.

ELYTRA fusca, subtilissime striata, capite thoraceque longiora, disco impunctato, margine subpunctato.

ALÆ amplæ, albæ, puncto marginali subfusco.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES fusci, interdum subferruginei.

MAGNIT. duplo minor præcedenti.

Locus: Habitat in humidis & sub lapidibus.

Observ. Differt a Carabo Rotundato, cui magnitudine & habitu simillimus, quod ille alatus, elytra profundius striata, disco utrinque tripunctata.

Synon. FABR. *Mant. Ins. p. 203. N:o. 98. Car. Picipes.*

VAR. *β.*

Totus niger.

Locus: Habit. cum var. præcedenti, cui simillimus.

N:o XLVII.

N:o XLVII.

CARABUS PILICORNIS.

Elytris punctato-ſtriatis, disco utrinque tripunctato, antennis piloſis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obſcure ænea; *Antennæ* pilis longioribus hirtæ, fuscescentes, primo articulo æneo; *Palpi* fuscescentes, *Oculi* prominuli, nigri.

THORAX ſubtus niger, dorſo obſcure æneo, marginatus, rotundatus, lineola longitudinali punctoque utrinque ordinario poſtico.

ELYTRA obſcure ænea, punctis minutisſimis ſtriata: punctis tribus majoribus, nudis oculis bene conſpicuis in ſerie disco impresſis.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufi; *Femora* nigra.

MAGNIT. Car. Marginatum æquiparat.

LOCUS: Habitat ad littora humida & ſub lapidibus.

OBSERV. Optime antennis valde piloſis dignoscitur.

SYN-

Synon. Fabr. Mant. *Inf. p.* 200. *N:o* 65. *Car. Pilicornis.*

N:o XLVIII.

CARABUS QVADRIPUNCTATUS.

Niger, fupra obfcure fubæneus, nitidus, depresfus, elytris fubftriatis: punctis quatuor discoidalibus ferie impresfis.

Descriptio.

Caput nigrum, *nucha* obfcure fubænea.

Thorax fubtus niger, fupra obfcure fubæneus, acute marginatus, lineola longitudinali, punctis ordinariis nullis.

Elytra thorace multo latiora, obfcure fubænea, fubftriata: punctis quatuor longitudinalibus in disco profunde impresfis.

Alæ amplæ, albo-hyalinæ, macula parva marginali fusca.

Sternum nigrum, nitidum.

Abdomen latum, nigrum, nitidum.

Pedes nigri, nitidi.

Magni-

MAGNIT. dimidio minor præcedenti.

Locus: Habitat passim.

OBSERV. *Variat rarius punctis utrinque quinque impressis.*

SYNON. DE GEER *Inf. t. 4. p. 102. N:o 21. Car: Quadripunctatus.*

N:o XLIX.

CARABUS BIPUSTULATUS.

Pubescens niger, elytris crenato-striatis: maculis duabus ferrugineis.

DESCRIPTIO.

CAPUT minutissimum, totum nigrum; *Oculi* prominuli.

THORAX capite duplo latior, villosus, orbiculatus, undique punctatus, punctis ordinariis majoribus nullis.

ELYTRA thorace latiora, reliquo corpore duplo longiora, crenato-striata, nigra: maculis duabus magnis ferrugineis, quarum anterior in margine exteriore, major; posterior subrotunda.

STER-

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES. nigri.

MAGNIT. Car. Marginato paulo minor.

Locus: Habitat fub lapidibus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 205. N:o 106. Car. Bipuftulatus.*
LINN. *Syft. Nat. II. p. 673. N:o 39. Faun. Sv. N:o 808. Car. Crux Major.*
SCHÆFF. *Icon. t. 10. f. 13. minus accurate a Dom.* FABRICIO *ad fequentem relata.*

N:o L.

CARABUS CRUX MAJOR.

Niger glaber, thorace pedibusque rufis, elytris truncatis convexis, thorace duplo latioribus, ferrugineis cruce nigra.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum; *Antennæ* bafi ferrugineæ.

THORAX rufus, glaberrimus, fuborbiculatus, vix capite latior.

Elytra truncata, convexa, abdomine paulo breviora, thorace duplo latiora, levissime striata, ferruginea, macula scutellari; fascia lata obliqua in medio; sutura & margine postico nigris.

Sternum nigrum.

Abdomen nigrum.

Pedes rufi *geniculis* fuscescentibus.

Magnit. longitudine vix Car. Picipedis, sed abdomine latiore.

Locus: Habitat sub foliis putridis & lapidibus tempore vernali.

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 204. N:o 94. Car. Crux Major.*

Linn. *Syst. Nat. 11. p. 673. N:o 40. Faun. Sv. N:o 809. Car. Crux minor.*

Schæff. *Icon. t. 18. f. 8. a Dom.* Fabricio *falso ad Car. Crucem minorem citata.*

N:o LI.

N:o LI.

CARABUS QVADRIMACULATUS.

Niger, thorace ſternoque rufo-ferrugineis, elytris obtuſisſimis depresſis, thorace paulo latioribus bimaculatis, pedibus flavo-lividis.

Descriptio.

CAPUT nigrum; *Antennæ, Maxillæ Palpique* flavo-lividi.

THORAX rufus, capite vix latior, lineola longitudinali, glaberrimus, punctis ordinariis nullis, marginatus, ſubrotundus, poſtice ſubanguſtatus.

ELYTRA nigro-fusca, ſubſtriata, thorace haud duplo latiora, truncata, obtuſisſima, abdomine paulo breviora, depresſa: macula ovata livida baſeos, & alia apicis, ejusdem magnitudinis.

ALÆ albæ, macula marginali fusca.

STERNUM rufo-ferrugineum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES flavo-lividi.

MAGNIT. longitudine præcedentis, ſed anguſtior.

Locus: Habitat apud nos rarius.

Observ. *Differt a praecedenti, cui affinis, colore, elytris depressis thorace haud duplo latioribus.*

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 205. N:o 113. Car. Quadrimaculatus.*

Linn. *Syst. Nat. 11. p. 673. N:o 41. Faun. Sv. N:o 813. Car. Quadrimaculatus.*

N:o LII.

CARABUS Crux Minor.

Niger, thorace pedibusque rufis, elytris integris thorace vix latioribus, basi rufis, postice nigris: macula communi rufa.

Descriptio.

Caput nigrum, nitidum, thorace paulo angustius; *Palpi* & *Antennarum* basis rufa.

Thorax rufus, marginatus, rotundatus, glaberrimus, antice truncatus, postice subangustatus: lineola longitudinali punctisque ordinariis profundioribus.

Ely-

ELYTRA thorace paulo latiora, ſtriata, baſi ad tertiam partem longitudinis rufa, poſtice nigra: macúla communi ſubrotunda rufa; ſutura ad hanc maculam, non vero poſtice, tenuisſime rufa.

ALÆ albæ, vel ſubflavescentes.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufi.

MAGNIT. longitudine Car. Crucis majoris, latitudine Car. Agilis.

Locus: Habitat ſub foliis putridis, primo vere.

Observ. *Differt a Car. Cruce majore: colore, thorace antice latiore elytrisque anguſtioribus, haud truncatis. Synonyma* LINNEANA *&* SCHÆFFERIANA, *a Dom.* FABRICIO, *huic ſpeciei attributa, ad Car. Crucem majorem pertinent, ut ſupra notavi.*

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p. 204. N:o 100. Car. Crux minor.*

N:o LIII.

CARABUS Ustulatus.

Niger, ſupra obſcure nigro-ſubæneus, thorace ſubdepreſſo: punctis ordinariis profundioribus, elytris obſolete pallide faſciatis.

Descriptio.

Caput	nigrum, ſeu obſcure nigro-ſubæneum; *Oculi* prominuli, *Antennæ Palpique* nigri.
Thorax	niger, lævis, glaber, ſupra obſcure nigro-ſubæneus, marginatus, ſubdepreſſus, lineola longitudinali punctisque ordinariis profundioribus.
Elytra	obſcure nigro-ſubænea, puncta-to-ſtriata, thorace haud multo latiora: fascia obſoleta poſtica pallida, interdum quoque fasciola anteriore.
Alæ	albæ.
Sternum	nigrum.
Abdomen	nigrum.
Pedes	nigri.
Magnit.	inter minores eſt, & Car. bipunctatum vix ſuperat.

Lo-

Locus: Habitat in putridis frequentior.

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 205. N:o 115. Car. Ustulatus.*

Linn. *Syst. Nat. 11. p. 673. N:o 38. Faun. Sv. N:o 810. Car. Ustulatus.*

Var. β.

Niger, supra obscure nigro-subæneus nitidus, thorace nitidiore, elytris maculis quatuor magnis obsoletis rufo-pallidis, pedibus antennarumque basi ferrugineis.

Locus: Habitat cum præcedenti frequens.

Observ. Simillimus habitu & statura var. α, sed paulo major, seu magnitudine Carab. Picipedis.

Var. γ.

Niger, vel obscure nigro-æneus: margine exteriore pallide denticulato, pedibus brunneis.

Locus: Hab. apud nos minus frequens.

Observ. Magnitudine & summa similitudine cum var. α notatur.

Synon. Car. Dentellus. Thunberg. *Mus. Nat. A. U. pag. 50.*

Var. δ.

Niger, fasciis binis obliquis inæqualibus testaceis, fenestratis, marginem haud attingentibus.

Locus: Habitat rarius apud nos.

Observ. *Magnitudine var. α paulo minor, cetero huic simillimus.*

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 188. N:o 3. Elaphrus. Rupestris.*

Linn. *Syst. Nat. 11. p. 658. N:o 12. Cicindela Rupestris: sed hujus generis & thorax haud globosus.*

N:o LIV.

CARABUS Subglobosus.

Niger, thorace obscure subæneo subgloboso postice angustato, elytris punctato-striatis: maculis quatuor pallidis discoidalibus.

Descriptio.

Caput nigrum, *nucha* obscure subænea; *Oculi* prominuli; *Antennæ* sæpius basi ferrugineæ.

Thorax supra obscure subæneus, globosus, vix marginatus, glaberrimus, postice angustatus: lineola nulla longitudinali, punctis ordinariis minoribus.

Ely-

ELYTRA thorace latiora, nigra, nitida, ſubtilisſime punctato-ſtriata: maculis utrinque duabus discoidalibus minoribus, orbiculatis, altera baſeos, altera apicis.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES pallidi; *Femora* rarius nigra.

MAGNIT. inter minores eſt, ſeu magnitudine Car. Meridiani.

Locus: Habitat in putridis.

SYNON. LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 158. N:o 13. Faun. Sv. N:o 151. Cicind. quadrimaculata, quæ certe hujus generis eſt.*

VAR. β.

Niger, nucha thoraceque obſcure ſubæneis, elytris baſi macula orbiculata poſtica, pedibus pallide ferrugineis.

Locus: Habitat cum var. α, cui magnitudine, habitu & ſtatura omnino ſimilis.

OBSERV. Differt a Car. Uſtulato, thorace ſubgloboſo poſtice anguſtato, punctis ordinariis minoribus.

N:o LV.

CARABUS QVADRIGUTTATUS.

Niger ſubdepresſus, lævisſimus, thorace punctis ordinariis nullis, elytris oblique truncatis: punctis quatuor albis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, thoracis latitudine.

THORAX niger, ſubdepresſus, marginatus, impunctatus, lineola longitudinali non niſi oculo armato conſpicua.

ELYTRA nigra, lævisſima, oblique truncata, abdomen tamen obtegentia: punctis utrinque duobus albis, anteriore majore.

ALÆ albicantes.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri; *Tibiæ* interdum pallidiores.

MAGNIT. Car. Truncatellum æquiparat.

Locus: Habitat in Svecia auſtrali rarius.

OBSERV. *Differt a Car. Uſtulato, magnitudine minori, thorace impunctato elytrisque lævis-*

vissimis; a Car. Subgloboso, corpore magis depresso, & elytris lævissimis.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 205. N:o 114 Car. Quadriguttatus.*

N:o LVI.

CARABUS RIPARIUS.

Niger nitidus, elytris convexis integris striatis impunctatis: macula utrinque apicis albo-fenestrata; pedibus piceis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum, thoracis latitudine; *Oculi* parum prominuli.

THORAX niger, nitidus, vix marginatus, glaberrimus, antice truncatus, postice rotundatus, punctis ordinariis profundioribus.

ELYTRA nigra, integra, glaberrima, thorace paulo latiora, subtilissime striata, impunctata: macula parva versus apicem, non tamen in ipso apice, albo-fenestrata.

STER-

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES picei.

MAGNIT. inter minimos eſt, & Car. Truncatello fere minor.

Locus: Habitat ad ripas arenoſas, præſertim in Norrlandia.

OBSERV. *Differt a Car. Subgloboſo, colore elytrisque impunctatis.*

N:o LVII.

CARABUS QVADRISTRIATUS.

Niger, elytris disco utrinque qvadriſtriato, limbo exteriore glaberrimo, pedibus pallidis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, thorace anguſtius; *Antennæ Palpique* baſi pallidi.

THORAX niger, nitidus, marginatus, lineola longitudinali.

ELYTRA nigra, nitida, integra, thorace latiora: ſtriis quatuor ſubtilisſime pun-

punctatis discoidalibus ad marginem interiorem, apicem haud attingentibus: limbo omni exteriori glaberrimo.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES rufo-pallidi.

MAGNIT. Car. Truncatello paulo major est.

Locus: Habitat in Svecia australi.

VAR. β.

Nigro-fuscus, thorace elytrisque obscure castaneis: striis quatuor discoidalibus; limbo glaberrimo, pedibus pallidis.

Locus: Habitat cum varietate præcedente, cui magnitudine, facie & statura simillimus.

SYNON. SCHRANK. *Enum. Inf. Austriæ. p. 818. N:o 410. Car. Qvadristriatus.*

VAR. γ.

Totus niger, pedibus concoloribus, elytris quadristriatis: limbo exteriore glaberrimo.

Locus: Habitat passim. Simillimus facie & statura præcedentibus, sed paulo minor.

OBSERV. Species hæc ab omnibus dignoscitur elytris quadristriatis, limbo glaberrimo.

N:o LVIII.

N:o LVIII.

CARABUS SECALIS.

Ferrugineus, pedibus pallidioribus, elytris integris ſtriato-punctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT ferrugineum: *Oculi* nigri.

THORAX rufus, marginatus, glaberrimus, antice poſticeque truncatus, latitudine fere elytrorum: punctis ordinariis minoribus, lineola longitudinali leviſſima.

ELYTRA ferruginea, integra, punctato-ſtriata.

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM ferrugineum.

ABDOMEN ferrugineum.

PEDES flavo-pallidi.

MAGNIT. Car. Truncatello paulo major.

LOCUS: Habitat in agris ſecalinis menſe ſeptembri frequens, an larva ejus ſegeti nocet?

OBSERV. Color ferrugineus in fuſcum interdum tranſit.

VAR. β.

VAR. β.

Niger pedibus pallidis, thorace elytrorumque sutura ferrugineis.

Locus: Habitat rarissime cum var. praecedenti, cui, colore excepto, adeo similis, ut distingvi nequeat.

N:o LIX.

CARABUS MERIDIANUS.

Niger elytris integris striatis basi suturaque testaceis, antennis basi pedibusque ferrugineis.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum: *Antennae Palpique* basi ferruginei.

THORAX niger, nitidus, marginatus, lineola longitudinali, punctis ordinariis impressis, convexus, rotundatus, antice posticeque truncatus.

ELYTRA abdomen obtegentia, striata, nitida, basi late, & sutura tenuissime testacea.

ALAE

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES ferruginei.

MAGNIT. Car. Truncatellum paulo ſuperat.

Locus: Habitat ſub foliis putridis.

Synon. LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 673. N:o 36. Faun. Sv. N:o 797. Car. Meridianus.*

VAR. β.

Niger, elytris macula baſeos in angulo exteriore pedibusque ferrugineis.

Locus: Habitat cum var. α, cui habitu, magnitudine & ſtatura omnino ſimillimus.

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p. 205. N:o 111. Car. Meridianus.*

DE GEER *Inſ. t. IV. p. 102. N:o 20. Car. Bimaculatus.*

VAR. γ.

Niger, thoracis margine pallido, elytris pallidis: macula magna dorſali fere communi, nigra; antennis baſi pedibusque ferrugineis.

Locus: Habitat cum varietatibus præcedentibus, quibus, colore excepto, ſimillimus.

Syn-

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p.* 205. *N:o* 116. *Car. Dorfalis.*

N:o LX.

CARABUS Fasciatus.

Teftaceus capite nigro, elytris lævisfimis flexilibus truncatis: fascia obliqua fusca.

Descriptio.

Caput nigrum, nitidum: *Antennæ Palpique* ferruginei.

Thorax flavo-ferrugineus, marginatus, antice pofticeque truncatus, poftice anguftatus, punctis ordinariis impresfis.

Elytra thorace non multo latiora, depresfa, flexilia, truncata, abdomine paulo breviora, lævisfima, teftacea: fascia pone medium obliqua fusca.

Sternum flavo-teftaceum.

Abdomen flavo-teftaceum: lateribus & interdum apice fuscescentibus.

Pedes teftacei.

Magni-

MAGNIT. inter minimos eſt, ſeu magnitudine ſequentis.

LOCUS: Habitat ſub lapidibus & foliis putridis, tempore vernali.

OBSERV. *Affinis videtur Car. Andreæ, ſed multo minor, nec thorax niger, & elytra apice fuſca.*

N:O LXI.

CARABUS TRUNCATELLUS.

Supra obſcure ſubæneus, ſubtus niger, elytris læviſſimis oblique truncatis abdomine brevioribus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, *nucha* obſcure ſubænea, thoracis latitudine.

THORAX obſcure ſubæneus, marginatus, antice paulo latior, poſtice punctis ordinariis impreſſis.

ELYTRA obſcure ſubænea, læviſſima, anteriore parte thoracis vix latiora, abdomine breviora, poſtice obli-

oblique truncata: angulo exteriore obtuſo.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. inter minimos hujus generis eſt.

Locus: Habitat in apricis primo vere.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 206. N:o 123. Car. Truncatellus.*

LINN. *Syſt. Nat. II. p. 672. N:o 43. Faun. Sv. N:o 814. Car. Truncatellus.*

N:o LXII.

CARABUS BIPUNCTATUS.

Supra obſcure ſubæneus, ſubtus niger, elytris integris utrinque bipunctatis, pedibus obſcure ſubæneis.

DESCRIPTIO.

CAPUT ſubtus nigrum, *nucha* obſcure ſubænea: *Oculi* fuſci, *Antennæ, Maxillæ Palpique* nigri.

THORAX vix capite latior, ſubtus niger, ſu-

ſupra obſcure ſubæneus, marginatus, lineola longitudinali profundiori, nudis oculis conſpicua punctisque ordinariis.

ELYTRA obſcure ſubænea, thorace latiora, integra; oculo armato ſubtilisſime punctato-ſtriata apparent; punctis utrinque duobus majoribus impresſis, altero anteriori, altero poſteriori, nudis oculis bene conſpicuis.

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES nigri.

MAGNIT. paulo major eſt præcedenti.

Locus: Habitat in quisquiliis.

SYNON. LINN. *Syſt. Nat: 11. p. 672. N:o 33. Faun. Sv. N:o 806. Car. Bipunctatus.*

OBSERV. A ſequenti, ſeu Car. Bipunctato FABRICII *diverſisſimus.*

N:o LXIII.

CARABUS RUFIPES.

Supra obſcure ſubæneus, ſubtus niger, pedibus rufis, thorace glaberrimo, elytris integris ſubtilisſime punctato-ſtriatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT thoracis fere latitudine, ſubtus nigrum, *nucha* obſcure ſubænea: *Antennæ*, *Maxillæ*, *Oculi Palpique* nigri.

THORAX glaberrimus, vix marginatus, magis quam in præcedente convexus, lineola longitudinali levisſima nudis oculis inconſpicua, punctisque ordinariis impresſis.

ELYTRA obſcure ſubænea, thorace vix latiora, oculo armato ſubtilisſime punctato-ſtriata, punctis vero majoribus nullis excavatis.

ALÆ albo-hyalinæ, breviores.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES: *Femora* rufa: *Tibiæ Tarſique* pallidiores.

MAGNIT. præcedentis.

LOCUS: Habitat in Svecia auſtrali.

OBSERV. *Differt a Car. Bipunctato, cui affinis, colore pedum, thorace glabriori, nec ulla lineola thoracis punctave excavata elytrorum nudis oculis conſpicua. Convenit huic omnino deſcriptio* FABRICIANA, *quæ puncta bina excavata elytrorum non exhibet; mihi quoque a Celeb. illo Auctore ſub nomine Car. Bipunctati miſſus.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p.* 205. *N:o* 121. *Carab. Bipunctatus.*

N:O LXIV.

CARABUS AGILIS.

Rufus, abdomine poſtice fusco, elytris depresſis fuscis, truncatis, ſtriatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT rufum; *Oculi* nigri.

THORAX rufus, marginatus, lineola leviſſima longitudinali; pilis quibusdam ra-

rarioribus, longioribus, marginalibus.

ELYTRA fuſca, depreſſa, ſtriata, truncata, abdomine breviora; angulo poſteriore obtuſo, interiore acuto.

ALÆ albæ, macula marginali fusca.

STERNUM rufum.

ABDOMEN rufum, apice fusco.

PEDES rufo-flavi.

MAGNIT. Car. Viridanum æquiparat.

Locus: Habitat in foliis arborum convolutis.

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p. 204. N:o 99. Car. Agilis.*

VAR. β.

Rufus, elytris pedibusque pallidioribus, capite limboque exteriori elytrorum fuscis.

Locus: Habitat cum varietate præcedente, cui, colore excepto, ſimillimus.

Synon. QVENSEL *Disſert. Ignot. Inſect. Spec. P. I. p. 18. Carab. Arboreus.*

VAR. γ.

Fuscus, ſubtus, apice abdominis excepto, maxillis, antennis pedibusque rufo-flavus, elytris puncto medio pallido.

Locus: Habitat cum præcedentibus, quibus, colore excepto, ſimilimus.

VAR. δ.

Teſtaceus, elytris pallidioribus, capite nigro.

Locus: Habitat apud nos rarius: ſimillimus præcedentibus, colore excepto.

Observ. *Variat ſterno fuſco & teſtaceo.*

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 205. N:o 117. Car. Atricapillus.*

Linn. *Syſt. Nat. II. p. 673. N:o 42. Car. Atricapillus.*

SE-

SECTIO TERTIA:
Thorace elongato.

N:o LXV.

CARABUS CEPHALOTES.

Niger elongatus lævis, capite thoracis magnitudine, thorace poſtice coarctato.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, magnum; *Oculi* pupillati.

THORAX niger, lineola longitudinali, convexus, vix marginatus, poſtice coarctatus.

ELYTRA nigra, dimidio corpore longiora, oculo armato tenuisſime puncta-to-ſtriata, parte anteriore thoracis vix latiora.

ALÆ amplæ, albo-hyalinæ, baſi nervisque flavicantibus.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN elongatum, nigrum.

PEDES mediocres, nigri.

MAGNIT. longitudine Car. Violacei, ſed multo anguſtior.

Locus: Habitat paſſim ſub glebulis agrorum, ſubque lapidibus circa Upſaliam, menſe Auguſti.

OBSERV. *Neſcio qua ratione Auctores fere omnes hanc ſpeciem apteram eſſe indicaverint, cum ſemper alata eſt, & a Tenebrione Gibbo* LINNEI, *quem* FABRICIUS *pro varietate ejusdem habet, certe diverſiſſima.*

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 198. N:o 39. Car. Cephalotes.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 669. N:o 9. Faun. Sv. N:o 788. Car. Cephalotes.*

SCHÆFF. *Icon. Inſ. t. XI. f. 1.*

N:o LXVI.

N:o LXVI.

CARABUS CREPITANS.

Ferrugineus, oculis abdomineque nigris, elytris truncatis nigro-cæruleis.

DESCRIPTIO.

CAPUT ferrugineum, thoracis latitudine; *Antennæ* apice obſcuriores: *Oculi* minuti, prominuli, nigri.

THORAX ferrugineus, convexus, marginatus, poſtice coarctatus, lineola longitudinali.

ELYTRA nigro-violacea, thorace duplo latiora, ſubſtriata, apice truncata.

STERNUM nigrum, opacum.

ABDOMEN elytris paulo longius, opacum, nigrum.

PEDES: *Femora* & *Tibiæ* ferruginea; *Tarſi* fuscescentes.

MAGNIT. Car. Viridanum æquiparat.

LOCUS: Habitat ſub lapidibus.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 200. N:o 61. Car. Crepitans.*
LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 671. N:o 18. Faun. Sv N:o 792. Car. Crepitans.*
DE GEER *Inſ. t. IV. p. 103. N:o 22 t. 3. f. 18. 19. Car. Crepitans.*
SCHÆFF. *Icon. t. XI. f. 13.*

N:o LXVII.

CARABUS ANGUSTATUS.

Cyaneus, ſterno, pedibus elytrisque, apice excepto, ferrugineis, thorace longisſimo ſubcylindrico.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigro-cyaneum, nitidum, magnum: *Antennæ Palpique* baſi flavicantes.

THORAX cyaneus, ſubcylindricus, capite anguſtior, magis quam in congeneribus elongatus.

ELYTRA thorace duplo latiora, vix ſtriata, truncata, ferruginea, apice cyanea.

STERNUM ferrugineum.

ABDOMEN cyaneum, nitidum, elytris paulo longius.

PEDES ferruginei: *geniculi Tarſique* fusci.

MAGNIT. longitudine vix præcedentis, & multo anguſtior.

LOCUS: Habitat in Svecia rarius.

SYNON. FABR. *Mant. Inſ. p. 205. N:o 122. Car. Anguſtatus.*

LINN. *Syſt. Nat. 11. p. 620. N:o 6. Attelabus Melanurus.*

SE-

SECTIO QVARTA:
Thorace ſubqvadrato.

N:o LXVIII.

CARABUS QVADRISULCATUS.

Niger, thorace punctato triſulcato, elytris ſulcis quatuor holoſericeo-pubeſcentibus.

Descriptio.

Caput nigrum, nitidum: *Antennæ* apice fuſceſcentes, *Maxillæ* breviores.

Thorax niger, marginatus, angulatus, antice lævis, nitidus, profunde punctatus, dorſo ſulcis tribus lateralibus abbreviatis; poſtice ſubtiliſſime punctatus, tenuiſſime holoſericeo-pubeſcens, punctis ordinariis nullis.

Elytra nigra, ſubtiliſſime punctata: ſulcis quatuor tenuiſſime holoſericeo-pubeſcentibus; margo exterior punctis paulo majoribus.

Alæ

ALÆ albo-hyalinæ.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES breviores, nigri.

MAGNIT. Car. Nitentem æquiparat.

Locus: Habitat in Gottlandia rarisſime, nec niſi unicum vidi in Muſeo Academiæ Upſalienſis.

N:O LXIX.

CARABUS HOLOSERICEUS.

Subtus niger lævis, ſupra pube tenuisſima holoſericeus, capite æneo-nitido.

DESCRIPTIO.

CAPUT ſubtus nigrum, ſupra æneo-nitidum: *Maxillæ*, *Antennæ*, *Palpi Oculique* nigri.

THORAX ſubtus lævis, niger, ſupra pube tenuisſima holoſericea-fuscescente, ſubtilisſime punctatus, marginatus: lineola longitudinali punctisque ordinariis minutis.

ELY-

ELYTRA pube tenuisſima holoſericeo-fuſcescentia, convexa, ſubſtriata, ſubtilisſime punctata: punctis quibusdam paulo majoribus margine exteriore.

ALÆ latiores, corpore longiores, albo-hyalinæ nervis ferrugineis; lunula marginali coſtaque ad lunulam fuscescentibus.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri.

MAGNIT. Carab. Multipunctatum æquiparat.

Locus: Habitat in pratis humidis ſub lapidibus, primo vere.

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p. 199. N:o. 52. Car. Holosericeus.*

N:o LXX.

N:o LXX.

CARABUS Nigricornis.

Niger lævis, thorace capiteque æneis elytris ſtriatis viridibus: punctis discoidalibus nullis.

Descriptio.

Caput ſupra viridi-æneum, nitidisſimum, ſubtus nigrum: *Oculi*, *Maxillæ Palpique* nigri; *Antennæ* longiores, nigræ, primo articulo rufo.

Thorax ſupra æneus, ſubtus nigro-violaceus, capite multo latior, oculo armato ſubtilisſime punctatus: lineola longitudinali punctisque ordinariis poſticis profundius excavatis.

Elytra viridia, ſtriata, convexa, medio thoracis antice haud latiora: punctis discoidalibus nullis.

Sternum nigrum.

Abdomen nigrum, rarius ſubviolaceum.

Pedes variant: interdum toti nigri: ſæpius *Femora* rufa, *Tibiæ Tarſique* fuscescentes; interdum *Tibiæ* etiam rufæ.

Magnit. præcedentis.

Lo-

Locus: Habitat ſub lapidibus & in pratis humidis.

Observ. *Statura & habitu Car. Holosericei, ſed lævis, & puncta ordinaria thoracis majora.*

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p. 202. N:o 82. Car. Nigricornis.*

N:o LXXI.

CARABUS Cupreus.

Subtus niger, ſupra rubro-æneus, elytris punctis quatuor discoidalibus; poſticis excavatis longitudinalibus, thorace punctis utrinque binis.

Descriptio.

Caput ſupra rubro-æneum, nitidum; ſubtus cum *Maxillis*, *Palpis Oculisque* nigrum. *Antennæ* nigræ: primo ſecundoque articulo ferrugineis, pilis quibusdam longioribus.

Thorax ſupra rubro-æneus, ſubtus niger, vel obſcure cœrulescens, capite

latior, marginatus: lineola longitudinali punctisque duobus majoribus aproximatis lateralibus postice impressis.

Elytra rubro-ænea, antice thoracis latitudine, in medio latiora, striata punctis minutissimis: punctis quatuor paulo majoribus, licet vix nudis oculis conspicuis in stria secunda a margine interiore, quorum primum in medio, secundum & tertium posteriora, & quartum in ipso apice; margo exterior etiam notatus punctis adhuc majoribus, nudis oculis conspicuis.

Sternum nigrum.

Abdomen nigrum.

Pedes nigri.

Magnit. præcedentis.

Locus: Habitat apud nos frequens.

Synon. Fabr. *Mant. Inf. p. 201. N:o 68. Car. Cupreus.*
Linn. *Syst. Nat. 11, p. 672. N:o 29. Faun. Sv. N:o 801. Car. Cupreus.*
De Geer *Inf. t. IV. p. 97. N:o 13. t. 3. f. 15.*

Var. β.

Subtus niger, supra viridi-æneus.

Locus: Habitat cum præcedenti frequens.

Syn.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p.* 200. *N:o* 66. *Car. Cærulescens.*

LINN. *Syst. Nat.* II. *p.* 672. *N:o* 28. *Faun. Sv. N:o* 800. *Car. Cærulescens.*

VAR. γ.

Totus niger.

LOCUS: Habitat cum præcedentibus frequens.

VAR. δ.

Subtus niger; supra obscure violaceus.

LOCUS: Habitat apud nos rarius.

OBSERV. *Varietates hæ omnes habitu, statura & magnitudine simillimæ.*

N:o LXXII.

CARABUS PROTEUS.

Lævis cylindricus, thorace punctis ordinariis levioribus, elytris striatis disco impunctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT crassum, ferrugineum, basi ad collum, æneum: *Antennæ Palpique* te-

testacei; *Maxillæ* validæ, ferrugineæ, apice obscuriores; *Oculi* cinerascentes.

THORAX undique elytrorum latitudine, subtus testaceus, supra æneus, linea longitudinali punctoque postico utrinque unico leviter excavato.

ELYTRA striata: capite thoraceque vix longiora, viridi-ænea, punctis discoidalibus nullis.

ALÆ albo-hyalinæ, nervis fuscescentibus.

STERNUM testaceum.

ABDOMEN breve, testaceum.

PEDES testacei.

MAGNIT. paulo minor est præcedenti.

Locus: Habitat in Svecia australi rarius.

Synon. FABR. *Mant. Ins.* p. 202. N:o 81. *Car. Æneus.*

VAR. β.

Niger, subtus ferrugineo-flavescens, capite rufo, antennis pedibusque flavis.

Locus: Habitat cum præcedente.

Locus: FABR. *Mant. Ins.* p. 201. N:o 72. *Car. Erythrocephalus.*

VAR. γ.

VAR. γ.

Flavus, thorace ſupra elytrisque fuſceſcentibus.

Locus: Habitat in Uplandia rarius.

VAR. δ.

Subtus niger, ſupra cyaneus, antennis pedibusque rufis.

Locus: Habitat in Svecia auſtrali minus frequens.

Observ. *Pedes & Antennæ interdum fuſcescentes.*

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p.* 201. *N:o* 71. *Car. Cyaneus.*

VAR. ε.

Niger, pedibus antennisque rufis.

Locus: Habitat frequentisſime in quisquiliis & ſub lapidibus.

Synon. LINN. *Syſt. Nat.* 11. *p.* 672. *N:o* 24. *Faun. Sv. N:o* 2276. *Car. Latus.*

DE GEER *Inſ. t.* 4. *p.* 100. *N:o* 18. *Car. Latus.*

SCHRANK *Enum.* Inſ. *Auſtriæ. p.* 211. *N:o* 397. *Car. Latus: ſed major.*

GEOFFR. *Inſ. t.* 1. *p.* 160. *N:o* 37.

VAR. ζ.

Totus niger.

 Lo-

Locus: Habitat cum præcedenti frequentior.

VAR. η.

Niger thorace ſupra elytrisque viridi-æneis, pedibus antennisque rufis.

Locus: Habitat ſub lapidibus vulgatior.

Observ. *Variat pedibus antennisque piceis.*

Synon. SCHRANK *Enum. Inſ. Auſtr. p.* 212. *N:o* 399. *Car. Affinis.*

VAR. ϑ.

Subtus, cum pedibus antennisque nigro-brunneus, capite nigro, thorace ſupra elytrisque viridi-æneis.

Locus: Habitat cum præcedentibus.

Synon. DE GEER *Inſ. t. IV. p.* 97. *N:o* 14. *Carabus Vulgaris: thorax vero poſtice haud bipunctatus.*

VAR. ι.

Niger, capite punctis duobus minutisſimis rubris, antennis baſi flavis.

Locus: Habitat apud nos rarius.

Synon. FABR. *Mant. Inſ. p.* 199. *N:o* 55. *Car. Binotatus.*

OB-

OBSERV. Varietates hæ omnes adeo statura, magnitudine & habitu similes, ut omnes ad unam speciem retulerim: an jure? vidi ipse Carabos var. ε. & η. copula junctos.

N:O LXXIII.

CARABUS ALPINUS.

Niger, thorace punctis ordinariis bilobis, elytris striato-punctatis rufo-ferrugineis: margine maris nigro.

DESCRIPTIO.

CAPUT breve, crassum, nigrum: *Antennæ* basi ferrugineæ.

THORAX niger, subdepressus: lineola longitudinali punctisque ordinariis levioribus utrinque bilobis.

ELYTRA rufo-ferruginea, thoracis latitudine, subtilissime punctato-striata: summo margine omni, anteriore excepto, nigro; margine exteriore nullis punctis distinctis majoribus.

STERNUM nigrum.

ABDOMEN nigrum.

PEDES: *Femora* fubclavata & *Tibiæ* rufo-ferruginea; *Tarfi* fuscescentes.

MAGNIT. Car. Lato paulo minor eft.

FEMINA mari fimillima, at paulo major, feu magnitudine Car. Lati, & elytra tota rufo-ferruginea, margine concolore, antice impunctato, poftice punctis octo distinctis.

LOCUS: Habitat in fummis alpibus Lapponicis & Dalecarlicis.

OBSERV. *Differt a Car. Proteo, thorace punctis ordinariis bilobis: a Car. Bicolore, cui fimilis, colore, magnitudine, loco natali, & margine elytrorum maris impunctato.*

N:o LXXIV.

N:o LXXIV.

CARABUS Ruficornis.

Niger, antennis pedibusque ferrugineis, thorace basi subretuso subrugoso, elytris striatis subtilissime punctatis subvillosis.

Descriptio.

Caput nigrum: punctis duobus frontalibus impressis; *Maxillæ* piceæ: *Antennæ Palpique* ferruginei.

Thorax niger, elytrorum latitudine, lineola longitudinali, antice glaber, postice loco punctorum ordinariorum subretusus, levissime rugosus.

Elytra nigra, striata, oculo armato unque subtilissime confertissimeque punctata apparent; e puncto singulo pilus brevissimus subflavescens oritur: hinc elytra undique subtilissime villosa, certo situ flavicantia, micantia; margini insunt puncta nulla distincta majora.

Sternum piceo-nigrum.

Abdomen piceo-nigrum.

Pedes flavo-ferruginei.

Magni-

MAGNIT. Car. Cupreo longior & latior.

Locus: Habitat fub lapidibus frequens.

Observ. Mares feminis fimillimi.

Synon. FABR. *Mant. Inf. p. 199. N:o 48. Car. Ruficornis.*

GEOFFR. *Inf. t. 1. p. 160. N:o 38. Le Bupreste noir velouté.*

N: LXXV.

CARABUS BICOLOR.

Supra niger, fubtus cum antennis pedibusque piceo-ferrugineus, thorace poftice utrinque bipunctato, elytris punctato-ftriatis: punctis octo majoribus marginalibus diftinctis.

Descriptio.

CAPUT nigrum, antice punctis duobus impresfis: *Maxillæ* piceæ; *Antennæ Palpique* obfcure ferruginei.

THORAX latitudine fere elytrorum, fubtus piceus, fupra niger, convexus: li-

lineola longitudinali punctoque duplici ordinario impresso.

ELYTRA nigra, convexa, subtilissime punctato-striata: punctis octo majoribus distinctis in ipso margine exteriore a medio ad apicem.

STERNUM piceo-ferrugineum.

ABDOMEN piceo-ferrugineum.

PEDES piceo-ferruginei: *Femora* subclavata; *Tibiæ* anteriores subspinosæ.

MAGNIT. præcedentem æquiparat.

LOCUS: Habitat sat frequens sub lapidibus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 199. N:o 49. Car. Bicolor.*

LINN. *Syst. Nat. 11. p. 671. N:o 20. Faun. Sv. N:o 793. Car. Spinipes.*

SCHRANK *Enum. Inf. Austr. p. 212. N:o 398. Car. Spinipes.*

OBSERV. Mares feminæque simillimi. Car. Spinipes est Schrankii, sed synonymon ejus Geoffroyanum N:o VIII. omnino falsum, quia thorax cordatus. An sit Carabus Spinipes LINNÉI, *vix discerni potest, cum descriptio ejus anceps sit. Plures etiam inveniuntur manibus spinosis, unde magna confusio orta: Carabus enim Spinipes Sultzeri t. 3. f. 4. Car. Cephalotes auctorum est, & Car. Spinipes Mulleri Zool. Dan. prodr. p. 79. N:o 852. a Car. Spinipede* LINNÉI *diversissimus.*

N:O LXXVI.

N:o LXXVI.

CARABUS FERRUGINEUS.

Latus, brevis, ferrugineus, oculis nigris, thorace punctis ordinariis duplicibus, elytris striatis disco impunctatis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	ferrugineum, nitidum: *Oculi* nigri.
THORAX	ferrugineus, nitidus lateribus parum rotundatis, in medio elytrorum latitudine: lineola longitudinali punctoque utrinque ordinario duplici.
ELYTRA	ferruginea, latiora, nitida, puncto-striata, convexa: margine punctis quibusdam indistintis, minoribus.
ALÆ	albæ, longiores, immaculatæ.
STERNUM	ferrugineum.
ABDOMEN	ferrugineum.
PEDES	ferruginei.
MAGNIT.	longitudine vix Car. Protei, sed multo latior.

Lo-

Locus: Habitat in Svecia ſub lapidibus minus frequens.

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p.* 201. *N:o* 76. *Car. Ferrugineus.*

Linn. *Syſt. Nat.* 11. *p.* 672. *N:o* 25. *Faun. Sv.* *N:o* 798. *Car. Ferrugineus.*

Var. β.

Totus pallidus, oculis cinerascentibus.

Locus: Habitat cum præcedenti, cui ſimillimus; an nuper e nympha declaratus?

Synon. Fabr. *Mant. Inſ. p.* 201. *N:o* 77. *Car. Pallens.*

N:o LXXVII.

CARABUS Apricarius.

Subtus flavus, ſupra fusco-orichalceus nitidisſimus, thorace poſtice utrinque bipunctato, elytris undique punctato-ſtriatis.

Descriptio.

Caput ſubtus flavum, *nucha* fusco-orichalcea, nitida: *Maxillæ*, *Antennæ Palpique* ferruginei: *Oculi* nigri.

Tho-

THORAX subtus flavus supra fusco-orichalceus, nitidissimus, vix marginatus, in medio latitudine elytrorum: lineola longitudinali punctoque utrinqne duplici ordinario.

ELYTRA fusco-orichalcea, nitidissima, punctato-striata: summo margine exteriore subtus flavo, punctis marginalibus majoribus vix ullis distinctis.

STERNUM flavum.

ABDOMEN flavum.

PEDES flavi.

MAGNIT. longitudine Car. Pilicornis, sed latior.

Locus: In colle arenoso Dalecarliæ, in aprico semel plures inveni.

Synon. DE GEER *Inf. t. IV. p. 101. N:o 19. Car. Fulvus.*

GEOFFR. *Inf. t. 1. p. 162. N:o 43. Le Bupreste fauve.*

VAR. β.

Supra rufo-piceus, subtus cum antennis pedibusque rufus.

Locus: Habitat in Uplandia.

Observ. Simillimus præcedenti, colore excepto. Differt a Car. Ferrugineo, elytris punctato-stria-

ſtriatis, unde etiam ſynonyma Geoffrojana & De Geeriana *ad hanc ſpeciem retuli. A Car. Bicolore, cui ſtatura, & var. β. colore nimis affinis videtur, differt magnitudine triplo minore margineque haud octo punctato; nec varietas ejus ſexus habeatur, quia mares & feminæ, ut antea monui, invicem ſimillimi ſunt.*

N:o LXXVIII.

CARABUS Aterrimus.

Niger nitidisſimus, thorace convexo, elytris levisſime punctato-ſtriatis: punctis utrinque tribus discoidalibus majoribus.

Descriptio.

Caput nigrum, *nucha* nitidisſima.

Thorax dorſo nitidisſimus, convexus, marginatus, antice acute, poſtice obtuſe angulatus, lineola longitudinali; poſtice loco punctorum ordinariorum profunde excavatus.

Ely-

ELYTRA nigra, nitidisſima, thorace vix latiora, convexiora, leviſſime ſtriato-punctata: ſtriis opacioribus, unde nudis oculis perſpiciuntur; in ſingulo elytro puncta tria profundiora nudis oculis optime perſpicua, quorum duo in ſtria ſecunda a margine interiore, alterum in medio, alterum poſtice, & tertium baſi propius in ſtria tertia; margo exterior etiam punctis minoribus, inermi tamen oculo conſpicuis adornatur.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES nigri, nitidi.

MAGNIT. Car. Ruficornem vix æquiparat.

Locus: Habitat ſub lapidibus primo vere.

OBSERV. *Totus ſupra nitidisſimus, quaſi oleo unctus. Ceterum etiam a Carabo Striato differt thorace ſubquadrato; a ſequenti elytris convexioribus, levisſime punctato-ſtriatis, punctisque discoidalibus majoribus nudis oculis optime perſpicuis.*

SYNON. *Carabus Aterrimus. Herbſt.*

N:o LXXIX.

N:o LXXIX.

CARABUS NIGRITA.

Niger nitidus, thorace utrinque postice ſubretuſo, elytris ſtriatis: punctis utrinque tribus discoidalibus minutisſimis; marginalibus majoribus.

DESCRIPTIO.

CAPUT nigrum, nitidum: *Oculi* fuſceſcentes.

THORAX niger, nitidus, marginatus, lineola longitudinali, punctis ordinariis profunde retuſus.

ELYTRA nigra, nitida, ſtriata: in ſtria ſecunda a margine interiore puncta duo vix nudis oculis conſpicua, quorum alterum in medio, alterum poſtice, & in ſtria tertia punctum tertium baſi propius; totus margo exterior etiam punctatus: punctis paulo majoribus nudis oculis conſpicuis.

STERNUM nigrum, nitidum.

ABDOMEN nigrum, nitidum.

PEDES: *Femora* & *Tibiæ* nigra: *Tarſi* fuſceſcentes.

MAGNIT. longitudine Car. Protei, fed paulo anguftior; reperiuntur quoque duplo fere minores, ceterum fimillimi, vix fpecie diverfi.

Locus: Habitat fub lapidibus frequens.

Observ. Mares feminis fimillimi præter puncta marginalia maris diftinctiora. Ab Auctoribus cum Car. Leucophthalmo confufus videtur, apterus vero hic, ille alatus; differt etiam a Car. Striato, cui affinis, magnitudine duplo minore, & thorace fubquadrato.

N:o LXXX.

CARABUS AMBIGUUS.

Supra niger, fubtus piceus, pedibus flavis, elytris thoraci adnatis: punctis utrinque duobus difcoidalibus.

Descriptio.

CAPUT fupra nigrum, nitidum, fubtus piceum: *Antennæ Palpique* rufo-fufcescentes.

THO-

THORAX subtus piceus, supra niger: lineola longitudinali punctoque utrinque ordinario levissimo, elytrorum latitudine, iisdemque arcte junctus.

ELYTRA nigra, thorace paulo opaciora, striata: punctis utrinque duobus discoidalibus nudis oculis inconspicuis, & quibusdam paulo majoribus in margine exteriori.

ALÆ longiores, albo-hyalinæ, immaculatæ.

STERNUM piceum.

ABDOMEN piceum.

PEDES flavi, interdum rufi.

MAGNIT. Carabum Flavipedem æquat.

LOCUS: Habitat sub lapidibus, juxta agros Upsaliæ. S. TÖRNER.

OBSERV. *Variat rarius punctis elytrorum discoidalibus utrinque tribus.*
Statura & habitus omnino Car. Flavipedis.

N:o LXXXI.

CARABUS OVATUS.

Ovatus, thorace antice capitis, postice elytrorum latitudine utrisque adnato, elytris striatis: punctis discoidalibus nullis.

DESCRIPTIO.

CAPUT	nigrum: *Oculi* pupillati; *Antennæ* sæpius basi rufescentes.
THORAX	basi latitudine capitis, postice latitudine elytrorum, convexus, vix marginatus: lineola longitudinali punctisque ordinariis rarius duplicibus, levioribus.
ELYTRA	nigra, antice truncata, thorace arcte juncta, striata, dimidio corpore longiora: margine exteriore subpunctato, punctis discoidalibus nullis.
ALÆ	albæ: venis nigris, macula marginali fusca.
STERNUM	nigrum.
ABDOMEN	nigrum.
PEDES	nigri.

LOCUS: Habitat frequens sub lapidibus.

SYN.

SYNON. LINN. *Faun. Sv. N:o 799. Car. Vulgaris var. β.*

VAR. β.

Supra obscure æneus, subtus cum antennis pedibusque piceus.

SYNON. FABR. *Mant. Inf. p. 201. N:o 70. Car. Vulgaris,*
LINN. *Syst. Nat. 11. p. 672. N:o 27. Faun. Sv. N:o 799. Car. Vulgaris var. α.*

VAR. γ.

Supra viridi-æneus, subtus niger.

VAR. δ.

Supra nigro-cœrulescens, subtus niger nitidus.

SYNON. DE GEER *Inf. t. IV. p. 98. N:o 15. Car. Æneus.*

OBSERV. *Omnes hæ varietates habitu & statura simillimæ, sed magnitudo speciei variat. Jam longitudine Carab. Protei, jam duplo fere brevior, semper vero, ratione magnitudinis multo latior est.*

APPENDIX *).

STAPHYLINUS.

11-12. S. ALPINUS: *niger nitidus, elytris pedibusque testaceis, antennis mediocribus.*

Descr. *Caput* thorace latius, nigrum, nitidum: *Oculi* globosi; *Palpi* rufi; *Antennæ* dimidii corporis longitudine, basi rufæ. *Thorax* niger, nitidus, capite elytrisque angustior. *Elytra* depressa, testacea, subtilissime punctata, capitis thoracisque longitudine. *Alæ* albæ. *Sternum* & *Abdomen* nigra, nitida. *Pedes* testacei.

Magnitudo: St. Caraboidis fere longitudine sed angustior.

Locus: hab. in salicibus alpium Dalecarliæ, præsertim in monte Ståđjan, mense Junii.

Obs. Summa affinitas St. Caraboidis, sed omnino differt colore, loco natali, antennis brevioribus, & corpore angustiore.

N:o 14-15.

---

*) Post editam typis, exacto anno, Staphylinorum Monographiam, partim ipse reperi, partim amicis acceptas refero Species non nullas ejusdem generis novas, in patria nuper detectas, quarum descriptiones, omni abjecta cunctatione huic opellæ subjungere liceat. Pertractaturus, si fata sinant, proxima Monographia, Curculiones Sveciæ, pari modo ejusdem clausulæ Caraborum Species inserere constitui, quæ harum numero desiderantur, quasque ad illud tempus aliorum Entomologorum opera benigne mecum communicatas, gratus agnovero.

N:o 14-15. S. Pilicornis: *niger, labio pedibusque brunneis, antennis pilosis, elytrorum sutura unistriata.*

Descr. Caput thorace vix latius, nigrum nitidum, subrotundatum: *labium palpique* brunnea; *Antennæ* pilosæ capitis thoracisque fere longitudine. *Thorax* niger, nitidus, convexus, postice rotundatus, antice vix angulatus. *Elytra* nigra, nitida, thoracis longitudine: stria utrinque unica suturali. *Sternum* nigrum. *Abdomen* nigrum, nitidum, dimidii corporis fere longitudine. *Pedes* rufo-brunnei.

Magnitudo: cum varietate *β.* St. Fulgidi æmulatur.

Locus: habitat sub cortice truncorum pini. Dom. Gyllenhal.

Obs. Differt ab omnibus St. nigris, antennis pilosis, elytrisque margine suturali unistriato.

N:o 17-18. St. Fracticornis: *niger, pedibus rufis, antennis fractis subclavatis, thorace breviore postice rotundato.*

Descr. Caput thoracis latitudine nigrum, opacum: *Antennæ* capite thoraceque breviores, fractæ: primo articulo ut in quibusdam Curculionibus, longissimo, apice incrassatæ. *Thorax* niger, subtilissime punctatus, convexus, postice rotundatus, longitudine latitudinis. *Elytra* nigra, subtilissime punctata, thorace vix longiora. *Alæ* albæ. *Sternum* & *Abdomen* nigra: ano obsole-

lete rufescente. *Pedes* fusco-brunnei.
Magnitudo St. Orbiculatum æquiparat.
Locus: hab. in Vestrogothia; tempore vespertino volitans in arvis. Dom. GYLLENHAL.
Obs. differt St. Glaberrimo, antennis subclavatis, thorace breviore, rotundiore, opaciore; a reliquis nigris, antennis fractis.

VAR. β.

Niger, antennis fractis apice incrassatis, pedibus rufis, elytris rubris, margine omni, posteriore excepto, nigro.

Locus: habitat cum præcedenti, cui colore excepto, simillimus.

N:o 17-18. St. GLABERRIMUS: *niger, pedibus fusco-pallidis, antennis fractis filiformibus, thorace longiore.*

Descr. Caput nigrum, nitidum, elongatum; *Antennæ* fractæ, filiformes, capitis thoracisque vix longitudine: primo articulo longissimo. *Thorax* niger, nitidus, latitudine longior. *Elytra* nigra, thorace opaciora, subtilissime punctata, thoracis longitudine & latitudine. *Sternum* nigrum. *Abdomen* nigrum, dimidii corporis longitudine. *Pedes* fusco-pallidi.
Magnitudo vix St. Qvadratum attingit.
Locus: habitat sub muscis & lapidibus, locis subhumidis tempore vernali in Vestrogothia. Dom. GYLLENHAL; in Uplandia. ipse.

SYNON. *St. Glaberrimus, Herbst. in Fuesslis Insecten-archiv.* N:o 34-35.

N:o 34-35. St. SUBSTRIATUS: *rufus, capite elytrisque nigris, elytris substriatis.*

Descr. Caput thorace paulo angustius, nigrum, nitidum: *Palpi* rufi; *Antennæ* rufæ, capite thoraceque breviores, vix extrorsum crassiores. *Thorax* rufus, glaberrimus, longitudine latior, antice posticeque truncatus. *Elytra* nigra, subdepressa, thorace longiora, substriata. *Sternum* rufum. *Abdomen* rufum, subpilosum, longitudine dimidii corporis. *Pedes* breviores, rufi.

Magnitudo: St. Tricornem æquiparat.

Locus: habitat sub cortice arborum Vestrogothiæ rarius. Dom. GYLLENHAL.

Obs. colore & elytris substriatis optime dignoscitur.

N:o 34-35. St. CINCTUS: *niger nitidus, elytris punctis longitudinalibus triplici serie excavatis: margine ferrugineo.*

Descr. Caput thorace angustius, nigrum, nitidum: *Antennæ* filiformes capitis thoracisque longitudine. *Thorax* convexus, niger, nitidus. *Elytra* thorace paulo longiora, nigra, nitida, margine tenuissime ferrugineo, punctis vix nudis oculis conspicuis triplice serie excavatis. *Sternum* nigrum. *Abdomen* nigrum, vix thoracis elytrorumque longitudine. *Pedes* nigri.

Magnitudo St. Variantem var. α, cui statura similis, paulo superat.

Locus: hab. in Svecia australi rarius.

N:o 53-54. St. PUBESCENS: *fuſcus pubeſcens, pedibus, thoracis lateribus elytrorumque baſi pallidis, penultimo ſegmento abdominis reliquis haud longiore.*

Deſcr. Caput thorace anguſtius, nigrum, minutum: *Palpi* pallidi; *Antennæ* capite thoraceque longiores. *Thorax* magnus, convexus, fuſcus lateribus pallidis, undique hirſutie brevisſima tectus. *Elytra* capitis thoracisque longitudine, fuſca, tenuisſime villoſa; baſi macula pallida ſuturam haud attingente. *Sternum* fuſcum. *Abdomen* fuſcum, in vivo conicum, acuminatum, longisſimum. *Pedes* pallidi. *Magnitudo* & ſtatura St. Disparis, a quo differt corpore omnino pubeſcente, & penultimo ſegmento abdominis breviore.

Locus: habitat in putridis & cellis ſubterraneis.

VAR. β.

Fuscus pubescens, pedibus pallidis.

Locus: hab. cum var. præcedenti, cui ſimillimus, ut ſeparari nequeat.

EMENDANDA.

p. 9. lin. 14. legatur *levioribus*
13. l. 7. leg. *rugoſe punctató-ſtriatis*
19. l. 4. hæc obſervatio referatur ad var. ſequentem β. pone LOCUM.
23. l. 3. *Elytris viridi-æneis*
88. l. 4. *Elaphrus*
104. l. 2. *ſimillimus*
123. l. 21. *falſum*
127. l. 13. *levisſime*

